35:1.2..6.

2


133

RICHARDI ARCHIEPISCOPI ARMACHANI, HYBERNIÆ PRIMATIS

DEFENSORIUM CURATORUM

Aduersus eos, qui *Priuilegiatos* se dicunt, habitum Auenione in Consistorio coram D. Papa Innocentio VI. & D. D. Card. ac Prælatis, anno Christi 1357. nunc recèns excusum iuxta Vetus Exemplar, & ex fide Codicis MS. Bibliothecæ S. Victoris PARIS. maiori ex parte auctum, ac diligentissimè castigatum.

Accessit & breuis Præfatio Apologetica.






PARISIIS,

Apud PETRUM BILLAINE, viâ Iacobæâ sub signo Bonæ Fidei.

M. DC. XXXIII.

35 1 A. 16

134 2



IOANNIS TRITHEMII ABBATIS


In lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis testimonium


De Richardo Arch. Armachano.

Richardus Archiepiscopus Ardmacensis (Armachanus,) *& Primas Hyberniæ: vir in diuinis scripturis eruditus, & secularis philosophiæ, iurisque canonici non ignarus, ingenio clarus: sermone scholasticus: in declamandis sermoni,*

*bus ad populum excellentis indu-
ſtria. Scripſit ingenij ſui nonnulla
opuſcula, quibus nomen ſuum ad
poſteros tranſmiſit. Hic cùm ali-
quando de materia mendicitatis
prædicaret populo, nouem conclu-
ſiones protulit: quibus offenſi fra-
tres ordinum mendicantium ad
ſedem Apoſtolicam coram plebe
appellauerunt. Comparentibus
ergò tam Archiepiſcopo, quàm
fratribus in Auinione coram
Papa* Innocentio *ſexto, & Car-
dinalibus , anno Domini M.
CCC. LVII. octaua menſis
Nouemb. Richardus Archiepi-
ſcopus publicè protulit, legit, &
pronunciauit earundem propoſi-
tionum ſuarum* lib. 1. Nolite iudi-
care ſecundùm faciem, &c.

Claruit temporibus Caroli Imp. quarti, & Innocentij Papæ ſexti, anno Domini M.CCC. LXX.





AD LECTOREM PRÆFATIO APOLOGETICÆ.



Vm Illuſtriſſimi Richardi Radulphi Archiepiſcopi Armachani Hiberniæ Primatis librum pro Curatorum defenſione iterum in lucem edi viderem, maliuolorum quorundam hominum peruerſitas atque inuidia memoriæ tum primùm occurrit, qui eò temeritatis atque impudentiæ deuenere, vt ſanctiſſimum illum atque doctiſſimum virum hæreſiarcharum numero adſcribere non dubitarint: vtque id faciliori negotio hominum animis perſuadere poſſent, optimum Præſulem miſerrimum vitæ exitum ſortitum eſſe commenti ſunt. Atque vt

illam infamiæ labem commodius eluere possim, prout & patriæ meæ & viri ex ea oriundi innocentiæ debeo, ea mihi prius dicenda esse visa sunt, quæ cùm veritatem certissimam in se contineant, huiusmodi calumnias luce clariùs conspiciendas exhibere, eásque tandem penitus valeant extinguere. Primùm quidem in eo mihi nullo pacto excusandi esse vidétur aduersarij quòd propria ac priuata auctoritate, absque vllo Superiorum, quorum id refert, consensu, talem tantúmque Archiepiscopum, quasi Hæreticorum partibus studeret, accusarint, ea solummodo ratione inducti, quod ipsorum iniustissimis in Clerum inuasionibus suffragari ac conniuere nollet, sed potiùs, vt bonum Pastorem decebat, in eas acerrimè inueheretur, sicut illius

ſcripta pro Curatorum defenſione teſtantur. Dum verò hunc librum reprehendunt, non tam Armachani, quàm Innocentij ſexti Pontificis maximi qui coràm illum recitari voluit, necnon etiam Eminentiſſimorum Cardinalium, quibus illum examinandi Prouincia demandata fuerat, nec quiquam de eo determinarunt, doctrinam condemnare videntur. Qua quidem in re quantum ſibi huiuſmodi homines aſſumãt atque arrogent facilè cuiuis perſpicere licet. Ego verò non inficias eam, quin in Armachani quæſtionibus de Armenorum erroribus opiniones quædam reperiantur, quæ in vtramque partem agitari ſoleant, nullum talem doctorem eſſe arbitror, qui illum hæreſeos crimine arguere audeat. Vnus tantum Bellarminus illius ſcripta cautè ac pruden-

ter legenda esse admonet: id quod etiam de Augustino, Cypriano, Tertulliano, aliisque Patribus dici potest, quos tamen nemo vnquam hæreticos esse dixerit, quin statim impietatis reus existimetur, propterea quod illi sua scripta Ecclesiæ iudicio ac censuræ subiacere voluerũt, in quo nunc illos fidelissimus noster Armachanus est sequutus. Verumenimuerò vt manifestiùs rem totam cognoscamus, quis tandem sanæ mentis hæreticum illum appellarit, quem tota Hybernia velut Sãctissimum suspicit ac veneratur, cuius Natalis dies in celeberrimo Dundalkiæ Oppido, in quo natus est, sũmo cum popularium omnium consensu ac lætitia celebratur, in cuius honorem phanum erexerunt sancto Richardo dicatum in quo fideles Deo Opt. Max. vota quotannis, aut si

minus id per hæreticorum iniuriam liceat, in priuatis ædibus offerre consueuerunt? Hæc autem omnia à miraculis initium habuerunt, quæ plurima sanctissimus ille Præsul edidit, è quibus vnum aut alterum in medium proponam, ne hæc à me temerè dicta esse videantur. In eo ipso Dundalkiæ oppido fons limpidissimus etiam hodie conspicitur, vulgò sancti Richardi fons dictus, quò maxima hominum frequentia è tota vicinia confluit, qui se, postquam saluberrimas illas aquas hauserint, à febribus aliisque morbis quibus cruciantur, liberatum iri confidunt. Eamdem planè virtutem huius Sanctissimi Præsulis annulo à Deo concessam credunt: solo siquidem contactu ægros pristinæ sanitati restituit, ac tanquam sacratissimæ reliquiæ in cuiusdam Catholici Dun-

dalkiæ ciuis domo vna cum pedo aliíſque ornamentis Epiſcopalibus huiuſce Sanctiſſimi viri aſſeruatur. Atque his rebus omnibus tanta ineſt certitudo, vt nemo eas in ipſa vrbe in dubium reuocare audeat, quin ſtatim populi animos in ſe concitet, adeò firma Præſulis Armachani omnium mentibus inhæret atque infixa eſt memoria. An verò vlla major atque atrocior cùm Eccleſiaſticis, tum ſecularibus afferri poteſt iniuria, quàm eòs tacitè Idololatras nuncupare? Neque verò Hibernis tantum, verùm etiam Bonifacio nono Summo Pontifici hæc eſt illata contumelia, cuius de Richardo in Sanctorum numerum referendo etiam hoc tempore Bulla conſpicitur, quæ in Vaticano aſſeruatur, cuius exemplar Reuerendus P. VVadinghus Ord. S. Fran. vir doctrina & pietate

insignis Roma in Hiberniam ad Reuerendiss. Ossoriensem Episcopum nuper tradidit transferendum. Melius itaque ac tutiùs sibi consulerent nostri calumniatores, si sibi silentium imperarent, disceréntque tandem majori cum reuerentia, atque honore de sancto illo Præsule & sentire & loqui, qui non Ordinis ac Religionis instituta, sed effrænatam quorundã hominum viuendi licentiam est insectatus: id quod hoc tempore per multos auctoritate, virtute, pietate ac doctrina excellentissimos viros factitari videmus.



DEFENSORIVM Curatorum contra eos qui priuilegiatos ſe dicunt.

N nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſanctî. Amen. Incipit propoſitio Richardi Archiepiſcopi Armachani, Primatis Hyberniæ, facta in conſiſtorio coram domino Papa & dominis Cardinalibus ac Prelatis ad vtilitatem Cleri & populi Chriſtiani ſuper materia mendicitatis ac priuilegiorum contra fratres de ordinibus mendicantium quibuſcumque, apud Auinionem octaua die menſis Nouembris, anno Domini milleſimo tricenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Cuius quidem propoſitionis thema fuit hoc, *Nolite in-*

dicate secundum faciem: sed iustum iudicium iudicate. Ioan. 7. capit. Pater sanctissime, in principio mei sermonis protestor quòd non intendo aliquid asserere aut temerè affirmare, quod fidei obuiet Christianæ aut doctrinæ Catholicæ. Quòd etiam non est intentionis meæ destructionem seu quassationem Ordinum mendicantium approbatorum ab Ecclesia aut à summis Pontificibus confirmatorum expetere, aut etiã suadere. Sed potiùs suadebo ipsos ordines debere reduci ad puritatem suæ institutionis primariæ, semper sanctitatis vestræ correctioni paratus. Et vt ad materiam meam statim descendam: ecce, Pater sanctissime, accedens Londonium pro meę Ecclesię Armachanæ quibusdam negotijs Doctores aliquos satis doctos super mendicitate & mendicatione Christi Domini Saluatoris nostri ex aduerso reperi disceptantes. Et sæpius inuitatus vt populo prædicarem, septem aut octo sermones ibi protuli in vulgari: & sub protestatione præscripta in publico nouem conclusiones expressi, propter quas, & quæ tunc dixi, fratres ad istam sanctam sedem, licet friuolè, appellarunt. Prima conclusio hæc erat, quòd Domi-

nus Iesus Christus in sua conuersatione humana semper pauper erat ; non quia propter se paupertatem dilexit aut voluit. Secunda fuit : quòd Dominus noster Iesus Christus nunquam spontaneè mendicauit. Tertia erat: quod Christus nunquam docuit spontaneè mendicare. Quarta conclusio erat, siue quartus articulus: quod Dominus noster Iesus Christus docuit non debere hominem spontaneè mendicare. Quinta conclusio erat siue quintus articulus : quod nullus potest prudenter & sanctè spontaneam mendicitatem super se assumere perpetuo obseruandam. Sexta conclusio : quod non est de regula Fratrum Minorum mendicitatem spontaneam obseruare. Septima conclusio erat de materia illa, quod Bulla domini Alexandri Papæ quarti quæ magistrorum libellum condemnat, nullam præmissarum conclusionum impugnat. Octaua conclusio & prima de priuilegiorum materia erat ista, quod pro confessione parrochianorum alicuius Ecclesiæ facienda cum exclusione loci alterius eligibilior est parochialis Ecclesia, quàm fratrum oratorium siue ipsorum Ecclesia. Nona conclusio erat, & secunda

in ista materia, quòd ad confessionem parochianorum alicuius Ecclesiæ vni personæ singulariter faciendam eligibilior est persona ordinarij quàm fratris persona. Has conclusiones, Pater sanctissime, in publicis meis sermonibus, scripturis, & rationibus tanquam probabiles suasi, vt potui, & in præsenti, Deo duce, suadebo. Et etiam declarabo aliqua grauiora quæ inibi tunc non dixi, sicut fratribus ipsis ibi promisi, adijciam in præsenti, Sanctitati vestræ humiliter supplicans & deuotè, quòd conclusionibus ijs prætactis, & rationibus, quas ad eas suadendas adduxi & adducam, attentis, & fratrum collationibus exaduerso, si fratrum rationes fuerint fortiores, sim ego punitus: si verò econtra; ipsi fratres pro scandalis, detractionibus, & conuitijs publicè & occultè mihi per eos illatis, super qua materia malo tolerare quàm agere, legitimè puniantur: obseruato quoad omnia, quod primò assumpsi, *Nolite iudicare secundum faciem: sed iustum iudicium iudicate.*

Sed quia secundùm legem Dei atque naturæ, vt in capitulo *Bonæ*, de postulatione, commune negotium priuato præferri debet: à priuilegiorum materia, quæ

141

totum Clerum & totum populum Christianum concernit, volo incipere. Et dico (vt mihi videtur) quòd si quæratur, quis locus est eligibilior pro confessione à parochianis alicuius Ecclesiæ singulariter facienda: videtur mihi quòd sua Parochialis Ecclesia est locus eligibilior oratorio fratrum siue ipsorum Ecclesia: quia est pro conscientia parochiani confessi huiusmodi locus securior & plura vitans incommoda, quàm fratrum oratorium. Quòd Parochialis Ecclesia sit locus securior, vt singulariter, scilicet cum exclusione cuiuscumque loci alterius, ibi fiat confessio, & etiam vt sepultura inibi habeatur, quàm fratrum Ecclesia, suadetur. Primò, quia est locus à Deo & lege eius præceptus: dicitur enim Deuteronom. cap. 12. *Hæc sunt præcepta atque iudicia quæ facere debetis.* Et citò post, *Ad locum quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, vt ponat suum nomen ibi, & habitet in eo: venietis & offeretis in illo holocausta, & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum, & vota atque donaria primogenita boum & ouium.* Et postea sequitur ibi prohibitiuè hoc modo, *Caue ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris: sed*

in illo, quem elegit Dominus in vna tribuum tuarum, offeres hostias, & facies quæcunque præcipio tibi. Hęc ibi. Vbi constat quod nō tantùm est præceptum, vt in loco electo à Deo, (quem Ecclesiam Parochialem iuxta verba prædicta debemus intelligere) cuncta, quæ Lex præcipit de Sacramentis, facere debeat quisque: de quibus est confessio facienda; sicut patet Leuit. 3. c vbi dicitur quod *quicumque per ignorantiam peccauerit, offeret Sacerdoti, & ipse orabit pro eo, & dimittetur ei:* sed etiam quod alia loca quæcunque, sunt à lege prohibita. Certum autem videtur, quod locus fratrum nō est à Deo per legem suam ad hæc facienda electus, sed tantùm à summis Pontificibus est concessus: sed iuxta verba præmissa est de lege prohibitus. Cùm ergo locus præceptus sit certior loco de lege diuina prohibito, ac solummodo permisso, aut concesso, sequi videtur, quod parochialis Ecclesia est locus certior siue securior ad confessionem Parochianorum pandendam, quàm oratorium fratrum siue eorum Ecclesia. Item Parochianus non hæsitat, nec suspicari habet, intelligendo de cursu communi, quod sua Parochialis Ecclesia supposita sit interdicto Ecclesia-

142.

ſtico : hoc autem veriſimiliter poterit ſuſpicari de fratrum Eccleſia : vnde videtur quod Eccleſia ſua eſt locus ſibi ſecurior. Suadetur minor per decretalem illam de ſepulturis in ſexto cap. *Animarum periculis*, vbi ſub certo modo pena interdicti tam Eccleſiæ quàm cœmeterij infligitur quibuſcunque religioſis, qui inducunt aliquos ad vouendum, iurandum, ſeu fide interpoſita, vel aliàs promittendum, vt apud eorum Eccleſias eligant ſepulturam, vel iam electam vlteriùs non immutent. Et communiter affirmatur, quod fratres ita inducunt homnes. Vnde conſequitur quod veriſimiliter parochianus poterit ſuſpicari, quod loca eorum ſunt ſuppoſita interdicto Eccleſiaſtico. Iſtud aliter confirmatur: quoniam videtur quod nullus Parochianus ſciens, (vt ſcire tenetur) quod ſua Parochialis Eccleſia eſt locus à Deo ad Sacramenta exercenda electus atque præceptus, & locus fratrum à lege prohibitus: ibi (niſi informatus aut ſuaſus à fratribus) eliget ſepeliri: quoniam ſatis firmum videtur, quod nullus Parochianus ad hoc faciendum eſt à ſeculari aliquo taliter informatus, aut ità inductus, vel, vt veriùs dicam, ſeductus.

Ex his videtur posse concludi, (sicut fieri potest in materia morali) quod Parochialis Ecclesia est pro confessione pandenda Parochianis suis locus securior loco fratrum. Dixi & dico secundo, quòd Parochialis Ecclesia Parochianis ipsius est pro confessione pandenda, & etiam sepultura habenda locus vtilior loco fratrum. Primò: quia est locus à Deo electus, ac per hoc Deo ampliùs acceptatus, quàm fratrum Ecclesia, quæ à Deo non est expressè electa, sicut nec à sua Ecclesia: sed solùm ad procurationem fratrum concessa. Vnde videtur vtilior, ex quo est acceptior Deo. Item in Parochiali Ecclesia Parochianus (vt debet) rite confessus, duplicis obedientiæ meritum sibi adquirit, scilicet meritum obedientiæ, qua paret mandato Dei de confessione pandenda, & meritum obedientiæ, qua obedit præcepto diuino de loco ad hoc à Deo electo seruando. Hoc secundo merito obedientiæ caret, vt videtur, quisque apud fratres confessus, cùm nulla lex Parochiano pręcipiat, aut etiam illi suadeat, vt apud fratres confiteatur, aut habeat sepulturam: ergo est Parochialis Ecclesia Parochianis pro istis exercendis locus vtilior loco fratrum.

Item in Parochiali Ecclesia sunt vbique, aut quasi vbique, aut esse debent de iure diuino, & suæ Ecclesiæ, plures in decuplo communiter oratores, quàm in Ecclesijs fratrum sunt fratres: vnde debet quisque Parochianus verisimiliter æstimare, quod ibi per orationes plurium poterit ampliùs adiuuari, quàm in fratrum Ecclesijs. Dixi & dico tertiò, quòd confessio facta in Parochiali Ecclesia modo prædicto vitat plura incommoda, quàm confessio facta in fratrum Ecclesia, & similiter ibi habita sepultura: quoniam ex quo ibi sunt vtilitas amplior, & maior securitas; econtra, si omitteretur, & fieret confessio singulariter, vt suprà expressi, in fratrum Ecclesiis, tolleretur securitas, ac etiam tollerentur vtilitates præmissæ. Et hæc sunt (nemo dubitat) grauia multùm incommoda siue dispendia. Dixi & dico secundò, si quæratur quæ persona est eligibilior pro confessione Parochianis singulariter facienda, scilicet an persona fratris, vel ordinarij sui persona, quòd ordinarij persona eligibilior est censenda fratrum personis, quia securior & vtilior; & quia confessio sibi facta singulariter vitat plura incommoda & dispendia. Dico primo, quòd est persona securior, quia

eſt(vt in articulo pręcedenti ſuaſi)perſona à Deo pręcepta,&à ſua Eccleſia de lege cõmuni, & fratris perſona de lege prohibita: vnde conſequitur quòd ordinarius eſt perſona ſecurior. Item perſona ordinarij eſt Parochianis ſuis perſonis fratrum ampliùs obligata: vnde rationabiliter poteſt Parochianus ſecuriùs de ea confidere,quia ſollicitior erit ad prouidendum ſuæ ſaluti quam frater qui eſt ſibi perſona extranea: ſicut perſona medici corporalis eſt ægroto magis carnaliter ſecura, quæ eſt ægroto magis obligata. Item quia Parochianus de lege cõmuni ſiue de curſu non hęſitat,nec hæſitare habet de ordinarij ſui perſona, quòd eius poteſtas abſoluendi ſuos ſubditos ſit ligata: de fratrum verò perſonis habet veriſimiliter ſuſpicari, quòd propter excommunicationes varias eſt in eis poteſtas ligata. Nec eſt dubium quin ſecurius ſit homini confeſſionem pandere liberam poteſtatem habenti, quàm habenti poteſtatem ligatam: ergò perſona ordinarij eſt certior ſiue ſecurior. Probatur minor prætacta. Primò per cap. *Religioſi.* in Clementinis, de decimis, vbi dicitur quòd religioſi quicumque beneficia non habentes, qui noualium, aut alias decimas

Ecclesijs debitas ad eos ex aliqua causa legitima non spectantes appropriare sibi præsumpserint, aut exquisitis fraudibus siue coloribus vsurpare tentauerint, &c. sententiam excommunicationis incurrunt. Nec videtur ambiguum: quoniam de iure diuino legatorum & liberè donatorum decimæ sunt soluendæ; & hoc Ecclesijs & earum curatis. Quod etiam Innocentius dicit, & Hostiensis affirmat, Vnde consequitur, quòd quicumque fratres, qui de legatis eis, & de eis donatis decimas ab Ecclesijs subtrahunt, & eas sibi appropriant, sententiam excommunicationis incurrunt: cùm de illis nunquam decimas soluant, vt communiter affirmatur. Secundò probatur minor prædicta per cap. *Religiosi*, de priuilegijs in Clementinis, vbi omnes religiosi sunt excommunicati de facto, qui à sententijs latis per statuta prouincialia seu synodalia quosque absoluunt: à quibus sententijs, vt communiter affirmatur, ab Ecclesiæ Prælatis & pœnitentiarijs eorundem, sæpè, imò communiter ligatos fratres confessiones audientes absoluunt. Ego enim in mea diocesi Armachana (vt puto) habeo duo millia subditorum, qui singulis annis

propter ſententias excommunicationis latas contra homicidas voluntarios, fures publicos, incendiarios & iſtis conſimiles, ſunt excommunicationis ſen téntijs inuoluti: de quibus [alius codex habet] vix veniunt ad me ſeu pœnitentiarios meos quatuordecim in anno; & recipiunt Sacramenta omnes tales vt cæteri, & abſoluti dicuntur, nec per alios quàm per fratres. Non dubium: cùm nulli alij illos abſoluunt, abſoluti creduntur. Vnde à Parochianis poteſt veriſimiliter ſuſpicari, quòd illi confeſſores ſunt tali ſententia inuoluti: ita quod poteſtas Sacerdotalis eſt in eis ligata. Et ita minùs tutum eſt eis talibus confiteri, ex quo ſine peccato mortali non poſſunt eos abſoluere. Et ſi illud credunt ipſi confeſſi, conſentiunt fratrum peccatis, ſi abſolutionem accipiant. Ait enim Apoſtolus ad Romanos primo capit. *Qui talia agunt, digni ſunt morte: non ſolùm autem qui faciant ea: ſed etiam qui conſentiant facientibus.* Et ſecundo Paralipomenon, XIX. cap. dicitur quòd Iehu Propheta dicit ad Ioſaphat regem Iuda, *Impio præbes auxilium, & his, qui oderant Dominum, amicitia iungeris: & idcirco iram quidem Domini merebaris, &c.* Vnde confe-

quitur quòd securior est persona ordinarij, quàm fratrum personæ. Idem etiam suadetur per capitulum *Cupientes*, de pœnis, in Clementinis, vbi triplex est lata excommunicationis sententia. Prima est lata in omnes religiosos, qui aliqua, vt audientes à solutione decimarum Ecclesijs debitarum retrahant, in sermonibus suis, vel alibi proferre præsumunt: quod faciunt, vt fertur communiter, confessores de fratribus: affirmant enim in publico, quòd nec de eleemosynis panis, vini, ceruisiæ, aut aliarum rerum huiusmodi modicarum tenentur donantes, in decimando lucra mercationis ipsorum, aliquid decimare. Ego verò è contrario affirmaui, quòd de paruis sicut de magnis donarijs tenentur inter lucra sua mentionem facere, quia aliàs possent mercatores quicunque totum lucrum totius anni per talia parua dona ita distrahere, quòd de maximo lucro suo nihil deberent penitus decimare, totum per modica distribuendo pauperibus: & illusio fieret iuri communi. Sunt ergo fratres tales maioris excommunicationis sententijs inuoluti. Item per eandem decretalem, *Cupientes*, sunt omnes fratres ab officio prædicationis suspensi, & consequen-

ter excommunicati, qui infra certum terminum conſcientiam eis confeſſis de decimis ſoluendis non faciunt: vbi & veriſimiliter æſtimatur, quod omnes confeſſores deputati de fratribus, vel quaſi omnes, ſunt iſta ſententia canonis inuoluti: quia, vt fertur communiter, & per eos qui eis confitentur poteſt probari, quod aliqui de hoc penitus nihil dicunt confeſſis: & quod illi, qui confeſſis eis quidquam loquuntur, proferunt nuda verba, non pro materia, ſed pro forma, quod non eſt conſcientiam facere, ſed magis illudere. Vnde ſi ad ſenſum conſtituentis canonem conſcientiam facerent, ipſos eis confeſſos de rebus quibuſlibet decimandis, de modo & de tempore informarent. Et quia non faciunt, non video quin incidant in iſtam excommunicationis ſententiam. Item per idem capitulum, ***Cupientes*** Omnes religioſi ſunt excommunicati, qui aliquos ad vouendum, iurandum, vel fide media, ſeu aliàs promittendum inducunt, vt ſepulturam apud eorum Eccleſias eligant, vel iam electam vlteriùs non immutent: quod tamen facere fratres affirmat clericorum & laicorum communis opinio. Et ad hoc vide-

tur ratio satis probabilis iam adducta ad confirmationem secundæ rationis primæ conclusionis articuli præcedentis.

Item quod persona ordinarij sit Parochiano suo securior aliter suadetur, scilicet quia de eius persona rationabiliter Parochianus potest iudicare, quod quoad pœnitentiam congruam & vtilem sibi imponendam pro suis peccatis est iudex sibi minùs suspectus seu æquior: quoniam quęstum subsidij temporalis per confessionis suę auditionem in suo ordinario non habet supponere aut aliqualiter suspicari: cùm necessaria vitæ, de lege Dei & suę Ecclesię, ordinarij ministerio sint annexa: de personis vero fratrum econtra: quoniam, vt in appellatione, quam contra me fecerunt in Anglia, continetur, ex sua fundatione ad mendicitatem & paupertatem arctissimam asserunt se astrictos, non obstante in eis facultate audiendi confessiones omnium sibi confiteri volentium: vnde quæstum releuationis mendicitatis in eis causam auditionis confessionis hominis extranei probabiliter Parochianus poterit suspicari, & rationabiliter in animo suo ita arguere: Cur iste mendicus hîc meam confessionem sedendo audiret,

& à necessariis pro victu sibi adquirendis desisteret, nisi de me tale suffragium expectaret? Vnde cùm egestas ad peccatum cuius mediationẽ indigentiæ succurratur, impellat: Iuxta illud Salomonis Prouerbiorum xxx. cap. *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, sed tribue tantùm victui meo necessaria, ne fortè satiatus illiciar ad negandum te, & dicam, Quis est Dominus? & egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei*: consequitur quòd pro omni genere peccatorum eleemosynam applicandam, qua poterit eius mendicitas releuari, velit mihi imponere: & ita non ero spiritualiter bene sanatus. Saluator enim suis discipulis quærentibus, Quare non potuimus eiicere illum? de dæmonio hîc loquentes: respondit, *hoc genus non eiicitur nisi per orationem & ieiunium*: Matth. XVII. capit. Ex quo dicto colligitur, quòd sicut cuicunque morbo corporali diuerso diuersa congruit medicina: sic spirituali morbo cuilibet est prouidenda propria medicina, qualem iste mendicus circa sua intentus, vt suspicor, mihi nullatenus ministrabit. Confirmatur hæc ratio: quoniam satis apparet in facto quòd isti fratres vbique per orbem post priuilegium de confessionibus au-

bus au-


bus audiendis obtentum, monasteria pulcherrima & regalia palatia construxerunt. Cuius rei causa videtur præcipua illa confessiones audiendi facultas: quoniam antequàm illam facultatem haberent, nullatenus talia construere potuerunt. Item nunquam auditur quòd fratres ad refectionem Parochialis Ecclesiæ aut stratæ communis seu pontium reformandos defectus, tales eleemosynas largiendas confessis eis imponant: nec minores, vt eas prædicatoribus, aut prædicatores seu quique de aliis mendicantium ordinibus, vt minoribus largiantur, imponunt, cuncta sibi & suo ordini applicantes. Vnde verisimiliter poterit iudicari, quòd quæstus proprius est in causa, quare talis mendicus pro persona extranea est ita sollicitus, quod tempus mendicationis negligit, illi extraneo totus intentus. Item feci ad hoc & facio in præsenti quintam rationem cuius conclusionem nolebam asserere. Dixi tamen in publico, & in præsenti idem dico, quòd rationem illam nesciebam dissoluere. Conclusio illius rationis est ista; Quòd quisque Parochianus confessus fratribus, ordinarijs suis neglectis, iuxta potestatem quam habent, post confessionem

huiusmodi remanet in peccato mortali, & à nullo peccato mortali absoluitur. Ad hanc conclusionem aliqualiter suadendam nitebat vnum principium suadere, quod etiam principium propter constitutionem Iohanninam, *Vas electionis*, nolebam astruere, quoniam ibi damnantur de dictis magistri Io. de Poliaco tres subsequentes articuli. Primus est, quòd confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata, quæ confessi fuerunt, iterum confiteri proprio sacerdoti. Secundus articulus est, quòd stante statuto, *Omnis vtriusque sexus*, edito in concilio generali, Romanus Pontifex non potest facere quòd Parochiani non teneantur confiteri omnia sua peccata semel in anno suo proprio Sacerdoti, quē dicit Parochialem curatum: imò nec Deus posset hoc facere, quia, vt dicebat, hoc implicat contradictionem. Tertius articulus est, quòd Papa non potest dare generalem potestatem audiendi confessiones, imò nec Deus, quin confessus habenti generalem licentiam audiendi confessiones teneatur eadem peccata iterum confiteri suo proprio Sacerdoti, quem dicit (vt præmitti-

tur) Parochialem curatum. Et erat principium ad hoc probandum, quòd simul possunt stare & nullatenus repugnant, quòd quisque Parochianus fratribus sit confessus, & quòd idem Parochianus teneatur sub præcepto Ecclesiæ omnia sua peccata semel in anno suo Sacerdoti proprio siue ordinario confiteri. Primò istud suasi, quia non ampliùs repugnare videntur confiteri fratribus, & nihilominus obligari siue teneri semel in anno omnia sua peccata mortalia suo ordinario siue Sacerdoti proprio confiteri, intelligendo de confessione quantùm ad id quod est iterabile in ea, quàm sibi repugnant semel aut sæpiùs apud fratres offerre, & teneri siue obligari vt semel aut bis siue ter teneatur in sua Ecclesia Parochiali in anno offerre: cùm vnus actus sit iterabilis meritoriè sicut alter. Ista verò duo vltima in nullo sibi repugnant. Igitur nec duo prima mutuò se impugnant. Item nullus ambigit quin quæcunque duæ propositiones affirmatiuæ super simili actu iterabili à diuersis personis aut ab eadem persona pro diuersis locis, ac diuersis temporibus prolatæ, valeant simul stare;

ſicuti quòd iſte Parochianus audiet vnam Miſſam vel plures apud fratres, & quod audiet vnam Miſſam vel plures apud Parochialem Eccleſiam, ſaltem ſemel in menſe, & maximè ſi vterque actus ſit meritorius & Deo acceptus, qualis actus non dubium extat confeſsio. Omnes autem Doctores in illo concordant, quòd actus confeſsionis eſt iterabilis meritoriè, quantùm ad expreſsionem peccatorum & pœnitentiam. Et nos omnes ſæpe ſic agimus, Deo, vt credimus, ita præſtantes obſequium. Nec minùs eſt certum quin actus tales meritoriè poſsint cadere ſub præcepto, quoniam ſic fiunt magis meritorij, ſi obedienter fiunt, quàm ſine præcepto, vt ſuprà expreſsi in principio articuli præcedentis. Poſſunt igitur confeſsio fratri & confeſsio eorumdem peccatorum ordinario facienda cadere ſub præcepto: ergo multò fortiùs poteſt vna confeſsio facienda ſub præcepto venire, altera libera remanente. Item Dominus Martinus Papa quartus, qui fratribus minoribus facultatem audiendi confeſsiones conceſsit, in ipſius priuilegij fine ſic dicit, ***Volumus autem quod hi qui fratribus confitebuntur, eiſdem ſuis Parochialibus Presbyteris confi-***

teri, saltem semel in anno (prout generale Concilium statuit) nihilominus teneantur, quodque ijdem fratres eos ad hoc diligenter & efficaciter secundùm datam eis à Domino gratiam exhortentur. Nullus ergo, & cætera. Hæc ibi. Vbi iste Dominus Papa mandat apertè, quòd non obstante confessione facta fratri, confitens teneatur iuxta concilij generalis statutum eadem peccata sua Presbytero Parochiali confiteri. Sed huic decreto videtur hæc constitutio Ioannina, vas electionis, iuxta sensum, quem fratres de ea concipiunt, obuiare, & populum eo modo informant in publico, se ipsos (vt videtur) & illos damnando, si præmissum mandatum Domini Martini sit fixum, sicut firmum videtur esse iuxta rationes præmissas. Ideo Pater sanctissime, ne tantum dispendium continuetur in populo Christiano, amore Crucifixi illa constitutio cum celeritate possibili declaretur. Mihi enim videtur quod ita potest intelligi, & sic eam intelligo quòd nullus confessus fratribus tenetur propter defectum potestatis absoluendi in fratribus eadem peccata confiteri suo proprio Sacerdoti: cuius contrarium magister Ioannes de Poliaco intellexisse videtur,



Item videtur valde mirabile qua fronte fratres audent astruere quod simul stare non possunt, vt quis sit confessus fratribus de suis criminibus, & quòd eadem teneatur suo ordinario siue suo Sacerdoti proprio confiteri: cùm econtra in sua regula (vt communiter affirmatur) habeant, quòd quicunque in ordine ipsorum professus seu habitum ipsorum assumens, in sua professione aut in suo ingressu, non obstante quacunque sua confessione priori, tenetur vni ipsorum omnia sua crimina confiteri. Cur enim negant de nobis posse seruari quod de se ipsis obseruant? videtur mirabile. Item Dominus Benedictus vndecimus in constitutione sua reuocatoria constitutionis Bonifacij, *Super cathedram*, quæ incipit (si benè recordor) *Inter cunctas*, fratribus mandat quòd ipsi hortentur eis confessos, quòd eadem sua peccata confiteantur suo proprio Sacerdoti. Ipse ergo sensit (vt videtur) quòd vna confessio obligationem ad alteram omnino non tollit, quoniam si insimul stare possunt, potest alterum præcipi altero libero remanente (vt mihi videtur) iuxta adducta superiùs. Item Sanctus Au-

gustinus in de vera & falsa pœnitentia, capit. nono; & Sanctus Thomas & Bonauentura, & alij Doctores & glossatores Catholici sæpè affirmant quod expedit eadem peccata sæpiùs confiteri. Cur igitur idem sub præcepto venire non possit propter meritum in populo cumulandum, non videò. Sicut posset sanctè præcipi à prælato, quòd quilibet Parochianus audiret singulis diebus Dominicis duas Missas. Hoc igitur principio probabiliter sic suaso nimis dura videtur posse inferri conclusio, scilicet quòd quisque Parochianus confessus fratri, ordinarijs suis curatis omissis, per totum annum neglectis, spretis, siue contemptis, est contemptor siue transgressor mandati Ecclesiæ contenti in illa decretali, *Omnis vtriusque sexus*, & per consequens redit à fratre cum peccato mortali. Et cùm Deus non remittat vnum peccatum mortale, nisi mortalia cuncta relaxet, infertur vlteriùs quòd taliter à fratre confessus, reuertitur cùm omnibus peccatis mortalibus cum quibus oneratus accessit ad fratrem. Et quid isto intolerabilius aut damnosius possit in Ecclesia Christi accidere? Verè, Pater sanctissime, istam rationem nesciui nec scio in

præsenti dissoluere. Vnde rogaui Londonijs ipsos in publico, vt me informarent verbo vel scripto qualiter possem præmissam rationem dissoluere. Sed illud hucusque non valui obtinere ab eis. Igitur mihi videtur, quòd ex præmissis possum inferre, quòd persona ordinarij est Parochiano securior pro confessione pandenda singulariter, scilicet vni personæ, quàm fratris persona. Super quo, Pater sanctissime, *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.* Dico secundò & dixi, quòd persona ordinarij est Parochiano vtilior pro sua confessione pandenda, quàm fratris persona, quia est persona à lege Dei & suæ Ecclesiæ ordinata, atque de mandato Dei ad illud ministerium explendum adhibita: frater verò ex sola concessione siue licentia Summi Pontificis ad id obtinet facultatem. Nec videtur ambiguum, quoniam quisque obseruando siue sequendo præceptum vtiliùs agit, quàm precepto neglecto, sequendo siue obseruando solam licentiam: cùm sequendo solam licentiam, nullus ob hoc præmium mereatur: & quisque obseruando præceptum mereatur. Vnde consequitur quòd vtiliùs confiteri potest quisque

151

Parochianus (de curſu communi intelligo)ordinario ſuo,quàm cuiquā fratri.Non tamen nego quin raro in caſu contrarium poſsit contingere, ſicut cùm ordinarius ex aliqua cauſa certa redditur ſuo Parochiano ſuſpectus. Item hoc ſequi videtur ſicut in priori articulo, quia ſuo ordinario confitendo habet duplicis obedientiæ meritum, ſcilicet obedientiæ quoad legem confeſsionis, & etiam quoad legem perſonæ: & confitendo fratri, caret horum meritorum fœdere, cùm non ſit Parochianis præceptum neque conſultum quòd fratribus ſint confeſsi. Vnde confiteri ordinario videtur ſibi vtilius. Item perſona ordinarij eſt ampliùs ſuo Parochiano obligata, quàm fratris perſona, & amore ſancto, vt quiſque de curſu communi debet ſupponere, ampliùs, vt tenetur ex cura, ſuo Parochiano magis affecta. Vnde videtur quòd ſollicitior erit circa vtilem medicinam ſpiritualem ſibi adhibendam, quàm frater, cùm frater ſit ſibi extraneus. Igitur ex illo capite videtur confeſsio vtilior. Item quia iuxta concluſionem immediatè præmiſſam perſona ordinarij eſt ad hoc perſona ſecurior: vnde conſequitur quod eſt perſona vtilior. Item Innocentius in

capitulo illo, *ſi animarum*, vnam cauſam ad iſtam concluſionem aſsignat, ſcilicet quia facilior ad curatum quàm ad extraneum habetur acceſſus: concludens quòd vtiliùs pandenda eſt illi Parochiani cõfeſſio. Et hæc cauſa ſpecialiter locum habet in caſu infirmitatis de nocte, quando non poteſt haberi acceſſus ad fratrem, nec fratri ad infirmum patet acceſſus de nocte. Ita quòd tunc, non obſtante confeſsione antea facta fratri, Parochianum oportebit iterum ordinario confiteri, vbi illi confeſſo multùm eſſet expediens, quòd ordinarius ſuam vitam priorem agnoſceret: quoniam ſic poſſet ſibi pœnitentiam magis aptam inponere, cùm ſatis ſit notum, quòd quantò quiſque ſæpiùs remiſſionem accepit de peccatis, & quantò peccata antè remiſſa grauiora exiſtunt; tantò redditur grauius ſequens delictum. Qualiter ergo eo caſu poterit ordinarius ſuo Parochiano aptam & congruam pœnitentiam, ignorans ſua priora peccata, imponere, aut ſaltem tam congruam, ſicuti ſi eius priorem vitam agnoſceret, omnino non cerno. Vnde vtilius eſſet ita confeſſo propter caſus huiuſmodi ordinario confiteri, quàm fratri. Item Innocen-

152
tius secundam causam adducit, scilicet quòd in confeſsione ordinario facta eſt erubeſcentia amplior, quàm cùm confeſsio eſt fratri facta: quoniam quiſque ampliùs erubeſcit pandere ſua peccata illi, quem quotidie cernit præſentem, quàm vni extraneo, quem fortaſsis non videbit niſi ſemel in anno. Item multùm eſt vtile vxoratis, vt vnus ſuam & ſuæ vxoris confeſsionem audiat indiuisè, quia ſic eorum confeſſor, tanquam medicus ſingularis duorum membrorum vnius corporis, vtiliùs poteſt languidis in ſpiritu, ſicut infirmis corporaliter, prouidere, quàm duo medici; quorum vnus vnum membrum duntaxat, & ſecundus medicus aliud membrum ſolummodò curare laborat: Vir verò & mulier vnum ſunt corpus. Itaque ait Saluator, *Iam non ſunt duo, ſed vna caro.* Matth. xix. capit. Satis ex iſtis videtur quòd perſona ordinarij eſt perſona vtilior pro ſui Parochiani confeſsione illi pandenda, quàm fratris perſona. Super quo, Pater Sanctiſsime, *Nolite iudicare ſecundum faciem: ſed iuſtum iudicium iudicate.* Dico tertiò, vt tunc dixi, quòd confeſsio facta ordinario ſingulariter, vt præſcripſi, vi-

tat plura incommoda siue dispendia quàm facta fratris personæ : vbi incepi dilatare materiam suadendo, quòd ea priuilegia, quæ in capitulo, *Dudum*, exprimuntur fratribus esse concessa, & etiam alia, multiplicia afferunt & inducunt dispendia: & per consequens obseruantia iuris communis in illorum priuilegiorum materia multa vitaret incommoda.

Dico ergo quòd priuilegiorum horum obseruantia, non solùm abusus eorum à fratribus, afferunt multa incommoda confessis, curatis, clero, populo Christiano, & fratribus. Dico primò, quòd horum priuilegiorum abusus à fratribus plurima incommoda afferunt confessis eisdem, quoniam auferunt securitatem prætactam in prima conclusione huius articuli. Item vtilitates præscriptas in secunda conclusione huius articuli, quarum ablatio infert confessis fratribus contraria eis incommoda, quæ debent quasi intolerabilia iudicari. Item iuxta verba Domini Innocentij quarti, vbi suprà, alia plurima dispendia inde proueniunt: Dicit enim hoc modo, *Attendentes quòd ex vsurpatione huiusmodi non tantùm contemptus & indeuotio populi prodeunt contra*

proprios sacerdotes, verùm etiam erubescentia, quæ est maxima pars pœnitentiæ, tollitur; cùm quis non proprio sacerdoti, quem habet continuum & præsentem, sed alieno & aliquando transeunti, ad quem difficilis & aliquando impossibilis est recursus, sua crimina confitetur. Ecce duo incommoda in confessis aut tria, scilicet contemptus proprij sacerdotis, & indeuotio, & sublatio erubescentiæ (quam maximam pœnitentiæ partem affirmat) quæ ex confessione facta fratribus proueniunt. Et sequitur immediatè, *Quia damnabilis est etiam oblationum detentio & periculosa detractio decimarum, quæ non (vt quidam mendaciter asserunt) velut cærimonialia transeunt; sed ei, à quo omnia recipimus, in signum dominij reseruata, Parochialibus Ecclesiis persoluuntur.* Hæc ibi: vbi duo alia damna adiungit, scilicet detentionem oblationum quæ solent à confitentibus sæpe solui eis, qui eorum confessionem auscultant, & fratres eas sibi appropriant, cùm de iure Parochialibus Ecclesijs debeantur: & est in fratribus damnabile, vt affirmat: & detractionem decimarum quam periculosam affirmat in fratribus: quæ etiam duo sunt curatis damnosa, quia ea, quæ pro vi-

ctu eis de lege Dei & ſuæ Eccleſiæ prouidentur, per fratres ratione huius priuilegij ſubtrahuntur. Dicitur enim Num. xviij. capitul. *Omnia quæ ſanctificantur à filijs Iſraël, tibi tradidi, & filijs tuis pro officio ſacerdotali legitima ſempiterna.* & ibidem, *omnis oblatio, & ſacrificium, & quidquid pro peccato atque delicto redditur mihi, & cedit in ſancta ſanctorum, tuum erit & filiorum tuorum.* Item per vſum horum priuilegiorum à fratribus prouenit ipſis curatis vnum aliud mirabile diſpendium, ſcilicet quòd vultus ſuorum pecorum, quorum curam ab Epiſcopo ſuo recipiunt, non agnoſcunt, quod in curam gerente carnalem de animalibus quibuſcunque eſſet damnoſum. Item eſt valde damnoſum curatis à ſuis Parochianis contemni: & tamen contemptus eorum (vt ſuprà Innocentius affirmat) prodit in populis ex hoc quod Parochiani ipſorum fratribus confitentur. Item eſt aliud grauius damnum curatis, quòd occaſione abuſus priuilegiorum fratribus conceſſorum quoad tres quartas omnium funeralium & etiam omnium aliter prouenientium fratribus ex legatione ſiue donatione diſtinctè ſiue indiſtinctè ad vſus

154
quoſcunque in capit. *Dudum*, conceſſas, & quoad quartam conceſſam curatis & ibi taxatam: quam quartam de multis legatis, donatis atque oblatis fratres non ſoluunt curatis, ſed infinitis cautelis adhibitis, vt curati aſſerunt, ipſi fratres ſibi appropriant, diuerſis quæſitis coloribus, quod inter eos & fratres quaſi vbique in populis Chriſtianis ſunt lites, contentiones, & iurgia infinita: ita quòd in locis quam plurimis à verbis peruenitur ad verbera, & in mentibus charitas procul abiicitur. Quæ etiam incommoda curatis ex alterius priuilegij abuſu proueniunt: ſcilicet quòd cùm fratres habent duos conſeruatores, nolunt curatos aut alios habentes quæſtiones cum ipſis coram propinquiore ſuo conſeruatore facere ad iudicium euocari, ſed citari eos faciunt coram magis ab eis remoto, vt propter vexationis timorem (vt dicitur) compellant eos à cauſarum ſuarum proſecutione deſiſtere. Quod in mea prouincia ſæpius actum extitit, vt aliqui in iſta curia præſentes affirmant, & eſt ſuper hoc fama cõmunis. Hæc & alia multa incommoda ex vſu, vel veriùs ex abuſu priuilegiorũ fratribus conceſſorũ proueniũt in curatis. Itẽ ex abuſu priuilegio-

rūm fratribus conceſſorum incommoda multa in clero proueniunt. Primo quòd occaſione priuilegij ſuper confeſsionibus audiendis iuuenes quaſi omnes in ſtudiis generalibus, & in domibus parentum ſuorum, in quibus quaſi vbique fratres propter facultatem audiendi confeſsiones tanquam familiares exiſtunt, fratribus confitentur: Qui iuuenes fratrum fraudibus, & munuſculis datis allecti (quia homines prouectæ ætatis circunuenire non poſſunt) eorum ordines ingrediuntur, nec poſtmodùm permittuntur (vt fama laborat) quòd exeundi ab ordine habeant libertatem: ſed cùm eis detinentur inuiti donec profiteantur in ordine: imò nec permittunt (vt dicitur) quòd cum patre aut matre loquantur, niſi ſub fratrum cuſtodia & timore. Super quo iſto die in exitu mei hoſpitij vnus probus de Anglia, qui ob remedium obtinendum ad curiam iſtam acceſsit, mihi expoſuit, quòd ſtatim poſt Paſcha proximum iam lapſum fratres apud ſtudium Oxonienſe eo modo ſibi ſuum filium non habentem annos tredecim ſubtraxerunt, cùm quo illuc adueniens non poterat niſi ipſo ſub fratrum cuſtodia exiſtente habere colloquium.

Cur ergo, cùm ſcriptura ſacra præcipiat, *qui furatus fuerit hominẽ, & vendiderit eũ, conuictus noxæ morte moriatur*, Exod. xxi. capit. hanc pœnam non ſubeant, aut aliam pœnam legitimam? non mihi videtur iuſtum. Si enim ſecundùm legem pro furto bouis aut ouis debet quiſque puniri, multò potiùs pro grauiori furto, & proximo læſo magis nociuo, ampliùs deberet quiſque puniri: quale eſt furtum huiuſmodi puerorum ante annos diſcretionis à cuſtodia ſuorum parentum. Nec poterunt affirmare, quòd quia pueri ſic ſurrepti ad Deo obſequendũ deuotiùs adducuntur, ideo furari eos & circumuenire licet fraudibus, mendacijs & fictis promiſſis, quoniam hoc eſt contra decretũ Apoſtoli affirmare: dicit enim, *& non (ſicut blaſphemamur, & ſicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, vt veniãt bona: quorum damnatio iuſta eſt*: ad Romanos iij. capit. Et vtinam viderent intimiùs hoc dicentes libros beati Auguſtini de mendacio & contra mendacium, in quibus apertè declarat, quòd non eſt faciendum mendacium pro aliquo malo vitando, nec pro cõmodo procurando: etiam nec pro hominis anima aut vita ſaluanda: & pariter videtur de alijs generibus pec-

catorum. Et exprimit vnam inter alias pulcherrimam rationem. *Si*, inquit, *liceret aliquando ex tali causa proferre mendacium, tota Ecclesiæ doctrina periret: quoniam tunc prædicans fidem in publico ex tali causa posset mentiri. Cur ergò in docendo fidem, sicut & cætera, auditores in cordibus suis non ita possent arguere? Iste secundùm suam doctrinam potest dicere licitè in multiplici casu mendacium. Nescio, nec scire nunc possum, an talis casus iam instet sibi: igitur fidem in docendo non debeo adhibere.* Vnde concludit; *quòd ad officium iusti hominis nunquam pertinet sponte proferre mendacium.*

Item hoc est nouæ legis præceptũ, sicut patet Marci x. cap. vbi quærenti à Domino, *Quid faciam vt vitam æternã percipiam?* taliter respondetur, *Præcepta nosti? Ne adultereris, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsũ testimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem & matrem, &c.* Non autẽ licet homini propter causam aliquam à seipso inuentam præceptum soluere, vt videtur, quia propter hoc Saul eiectus erat à regno: quia contra præceptionem diuinam de demolienda tota Amalecitarum substantia, animalia pinguiora prò offerendo Deo sacrificio reseruabat: vbi à Samuele Pro-

pheta est sibi responsum, *Melior est obedientia quàm victimæ; & auscultare magis quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere*: primo Regum, xv. capit. Item quia Oza extendit manum ad arcam Dei & tenuit eam: quoniam recalcitrauerunt boues & declinauerunt eam: Iratus indignatione Dominus contra eum percussit eum super temeritate sua & mortuus est: Secundo Regum, vi. cap.

Item Propheta Domini de Iuda missus est in Bethel, qui quia contra præceptũ Domini ne comederet aut biberet in loco illo, ibi comedit & bibit, & tamen suasus & inuitatus ab alio Propheta loci illius, qui audito ab eo diuino præcepto, dixit se esse Prophetã sibi similem, à leone est in redeũdo occisus, sicut scribitur iij. Regũ, xiij. cap. Hęc & istis similia satis affirmãt esse delictũ mortale in fratribus pueros ita furari à suis parentibus: imò non solùm peccare videntur mortaliter propter furtum, sed etiam propter circumuentionem & fraudem, cùm Dominus ipse in auctoritate prætacta ita affirmet esse præceptum, *Ne fraudem feceris*, sicut affirmat esse præce-

ptum, *Ne occidas*, aut etiam, *Ne fureris.* Item pariter affirmat ibi falſum teſtimonium eſſe prohibitum ſicut præceptum: quod tamen (vt videtur) fratres exercent in pueris, cùm eos ſuis circumuentionibus ita alliciunt. Vnde Paulus Apoſt. præcipit, *ne quis ſupergrediatur, neq; circũueniat in negotio fratrem ſuũ, quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus*: 1. ad Theſſ. 3. c. Ex iſtis cõſequitur graue damnũ in populo, quia à multis ſubtrahitur id quod ampliùs diligunt in hoc mundo. Item conſequitur graue damnum in clero in hoc quòd iam in ſtudijs regni Angliæ propter talem ſubtractionem puerorum à ſuis parentibus, laici vbique retrahuntur, ne mittant filios ſuos ad ſtudium: quia potiùs eligunt eos facere cultores agrorum eos habendo, quàm ſic in ſtudiis eos taliter amittere. Et ſic, quòd vbi in ſtudio Oxoniẽſi, adhuc meo tempore, erant triginta millia ſtudentium, non reperiuntur ſex millia his diebus: & maior huius imminutionis cauſa ſiue occaſio, præmiſſa puerorum circumuentio æſtimatur. Et quid eſt iſto damno grauius toti clero? Non video. Item eſt aliud damnum tam graue, quòd tendit ad conſumptionem ſeu euacuationem do-

ctrinæ in ſecularibus cuiuſlibet facultatis, ſcilicet quòd iſti ordines mendicantium propter infinita lucra quæ mediantibus prædictis priuilegijs de ſepulturis & confeſſionibus & alijs quæ acquirunt, tantùm multiplicati ſunt in conuentibus & perſonis conuentuum, quod non reperitur in ſtudiis communibus de facultate artium ſacræ Theologiæ, & Iuris Canonici, aut etiam (vt fertur à pluribus) de facultate Medicinæ, aut Iuris ciuilis (niſi raro) aliquis vtilis multùm liber venalis: ſed omnes emuntur à fratribus: ita vt in ſingulis conuentibus ſit vna grandis ac nobilis libraria, & ſinguli fratres habentes ſtatum in ſtudijs, quales ſunt modò innumeri, nobilem habeant librariam. Vnde ego de meis ſubiectis rectoribus tres aut quatuor miſi ad ſtudium: & dictum eſt mihi quòd nec bibliam eis vtilem, nec libros alios Theologiæ venales eis congruos ibi poterant reperire, & ad ſuam patriam ſunt reuerſi, aut vnus eorum ſaltem iam redijt. Si iſta non ſit in clero grandis iactura, nulla poterit in ipſo eſſe: cùm ad exitum talem (vt videtur) intendat, quòd clericus in Eccleſia nullus remaneat præter fratres: & ſic peribit fides Eccleſiæ, niſi qua-

tenus residebit in fratribus: & ita (vt multis videtur) potiùs expediret quòd Prælati eis cederent, vt totam (ad quod anhelare videntur) haberent Ecclesiã, quàm quòd eam demoliantur hoc modo. Vnde non solùm admiror, sed stupeo, quali audacia tot homines supra omnes mortales in sapientia se publicè extollentes contra physicam rationem, & contra sacræ scripturæ doctrinã taliter se sinè modo multiplicant. Dicit enim Aristoteles ij. libro de anima, *quòd omnium natura constantium determinata est ratio magnitudinis & augmenti.* Vnde consequitur, quòd legem naturæ non seruant, sed eam abijciũt, qui in magnitudine & augmento terminum sibi non statuunt. Item cùm Scriptura nos instruat, Sapientiæ xi. cap. *quòd Deus omnia in mensura, numero, & pondere disposuit*: cùm talis multiplicatio super mendicitate seu mendicatione (vt fratres asserunt) sit fundata: quæ nec personarum numerum certum potest statuere quibus prouideat: imò nec vni personę de cætero poterit prouidere: nec põdus (scilicet vt locũ fixũ mendicantes obtineant) possit præfigere: cùm verè mendici per singulos dies, aut quasi suum locum,

158

egestate vrgente, compellantur exire: nec mensuram personis possit statuere, scilicet vt singulis diuinis officiis sint in numero certæ personæ; cùm pari modo egestate compulsi, ministeriis relictis, mēdicare sæpissime oportebit: consequitur quòd contra modum omnipotentis sapientiæ disponēdi, isti de mendicātiū ordinib⁹ hoc modo se multiplicant, per hoc clerū & populum importunè velut effrontes vbilibet onerātes. Iam enim istis temporibus non poterit magnus aut mediocris in clero & populo aut vix cibū sumere, vbi tales affuerint mēdicantes, non more pauperum petentes ad portas vel ostia humiliter eleemosynam, vt Franciscus in testamento præcepit & docuit, mēdicando: sed curias siue domos sine verecūdia penetrātes & inibi hospitantes, nullatenus inuitati edunt & bibunt, quæ apud eos reperiunt: secū nihilominus aut grana aut similam, aut panes, aut carnes, seu caseos, etiamsi in domo non fuerint nisi duo, secum extorquēdo reportāt: nec quisquam eis poterit denegare, nisi verecundiam naturalem abijciat. Et est mirum quòd Domini Gregorij Papæ sententiam non formidant, qui in quodam priuilegio publicato præ-

159

prouėniunt: quoniam ipſa priuilegia prædicationis & auditionis confeſſionum tam ſanctè ſe exercere prætendunt, quod quiſque eos verecundatur repellere. Item iſta priuilegia & alia infrà tangenda afferunt ipſis fratribus multa incommoda, quia videtur quòd inficiunt eos multis generibus peccatorum, peccato iniuriæ, peccato inobedientiæ, peccato auaritiæ, & peccato ſuperbiæ. Videtur enim tam procuratio quàm obſeruantia horum priuilegiorum omnium contentorum in capitulo, *Dudum*, de ſepulturis, in clemētinis, & etiam aliorum, præmiſſis peccatis fratres inficere. Procuratio enim eorum videtur eos inficere, quoad curatos, peccato iniuriæ, quia facta eſt contra Ius, ſiue diuinum mandatum, quo dicitur, *Non concupiſces domum proximi tui: non deſiderabis vxorem eius: non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt*, Exodi xx. cap. Conſtat autem quòd hæc iura procurata à fratribus fuerant tempore procurationis iura curatorum: Igitur contra diuinū mandatum tunc fuerat ea concupiſcere. Procuratio verò concupiſcentiam habebat annexam & præuiam in quocunque. Item cùm non licebat tunc concupiſcere

bouem aut asinum curatorũ iuxta diuinũ præceptum, multò minùs licuit concupiscere ea, quæ curatis erant vtiliora, scilicet iura præmissa. Item illa procuratio fiebat contra præceptum de dilectione proximi: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: quoniam quisque seipsum sic diligit, quòd nollet alterum indebitè concupiscere bona sua. Constat autem quòd illa iura curatorũ tunc non debebantur fratribus: igitur erãt ab eis indebitè procurata: & sic contra mãdatum Dei præmissum. Item pariter suadetur ad idem, per illud Matth. vij. cap. *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, vos facite illis: hæc est enim Lex & Prophetæ*: vbi constat quòd per facere tam agere quàm omittere debemus accipere, scilicet vt omittamus aliis facere ea quæ nollemus, scilicet quæ nolle debemus nobis fieri. Et quis fratrum vellet aut secundùm eos velle deberet, quòd ab eis monachi aut canonici regulares aut fratres alterius ordinis tollerent priuilegia, quæ iam habent? Non puto quòd aliquis. Igitur nec ipsi talia iniuriosa curatis illis facere debuerunt. Item, priuilegiorum procuratio peccato inobedientiæ fratres inficit: quoniam ipsa priuilegia regulas suæ professio-

 160
nis impugnant. Primò quidem, quia in appellatione sua supponũt & suggerũt, quòd illi quatuor ordines ab Ecclesia sunt instituti atque fundati super mendicitate atque arctissima paupertate. Videtur autem quòd habere ius prædicandi fidelibus non potest stare cum huiusmodi fundamento, si huic priuilegio siue iuri sit annexa potestas exigendi necessaria vitæ ab his quibus Euangelium fratres annunciant, sicut erat in Christi discipulis, quando ad illud ministeriũ exercendũ eos direxit, iuxta illud Lucæ x.c. iã prætactũ: *In quãcunq, domũ intraueritis*, &c. *Dignus est enim operarius mercede sua.* Mẽdici verò rectè tales (vt videtur) dici non possunt. Qualiter enim dici possit verè mendicus, non dico mendicans, habens ius liberum vitæ necessaria exigendi non video. Vnde nec inquisitores prauitatis hæreticæ, qui dicuntur abuti sæpissime potestate eis concessa, vexãtes sæpe diuersas personas litteratas & laicas, nolẽtes remedium quærere de iniuriis ipsis illatis per eosdem inquisitores aut ordinis sui fratres, ita vt timore verecundiæ, notationis seu vocationis super causa hæresis & finalis iniusti iudicij, quale dicuntur sæpius exercere, pecuniæ summas graues sæpissime ab eis extorqueant: nec quis

pœnitentiarius aut lector habens de certo ſiue ex pacto neceſſaria vitę ſuę videtur dici verè mendicus. Et ſic iſta miniſteria procurãdo & etiã exercẽdo ſuã profeſſionem diſſoluunt. Et ita videtur quòd tam procurando quàm volendo tale priuilegium ipſi procurantes ſuam regulam de mendicitate, non dico de mendicatione, quæ actum ſolum ſignificat, volebãt abiicere. Et ſic eam in cordibus ſuis abiecerũt, ſicut in ſimili ait Saluator: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eã, iam mœchatus eſt in corde ſuo*, Matt. v. cap. Si verò fratres aſtruxerunt (& verè, vt mihi videtur, ſicut inferiùs ſuadebo) quòd huic miniſterio ſiue officio prædicandi, in ipſis non eſt annexa facultas exigendi vitæ neceſſaria ab his quibus Euangelium Chriſti annunciant; quoniam non ſunt vocati fratres aut miſſi ad tãle miniſterium exercendum; ſed nudam habent licentiam quę nec præcipit eis, nec eos hortatur, vt miniſterium illud exerceant: ex alio capite idem cõſequitur, ſcilicet ex priuilegiis ſepulturæ & facultatis recipiendi oblata tunc Deo, & aliàs ibi Deo oblata, & ex priuilegio audiendi confeſſiones omnium ſibi confiteri volentiũ: quoniam de lege Dei confeſſi non appa-

rebunt vacui in conſpectu Dei, ſcilicet ingredientes Eccleſiam Dei pro Sacramentis habendis, ſicut patet Exodi xxiij. cap. Inobedientiæ peccatum incurrunt: quia contra doctrinam Apoſtoli, ad Romam. x. cap. id exercent: cùm dicat, *Quomodo prædicabunt niſi mittantur? ſicut ſcriptum eſt. Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* & ad Hebręos v. cap. *Nemo ſumat ſibi honorem: ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Et contra Chriſti doctrinam, *Nolite vocari rabbi, nec vocemini magiſtri: vnus enim eſt magiſter veſter Chriſtus*, Matth. xxiij. cap. Sunt ergo inobedientes qui in profeſſione ſua Euangelium Chriſti ſeruare promittunt, & tamen contra legem ſuam in Euangelio traditam priuilegium tale procurant. Item de fratribus minoribus hoc ſpecialiùs videtur poſſe inferri: quoniam nemo ambigit, quin facilioris & laxioris obſeruantiæ ac minoris meriti ſit in eis cum iſtis priuilegiis ſuper facultate prædicandi, confeſſiones audiendi, ſepulturas habendi, & tres quartas omnium inde prouenientium ſibi appropriandi, vitam tranſigere, quàm viuere ſine illis, ſicut à beato Franciſco fuerant inſtituti. Igitur illa priuilegia pro-

curando retro reſpexerunt;poſtquam miſerunt manus ad aratrum, contra præceptum & regulam ſancti Franciſci. Dicitur enim in eius regula iſto modo,2.cap. *Finito verò anno probationis accipiantur ad obedientiam promittentes iſtam vitam & regulam ſemper obſeruare: & nullo modo licebit eis de iſta religione exire iuxta mandatum domini Papæ,quia ſecundum ſanctum Euãgelium, Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt regno Dei.* Hæc ibi Qui igitur talia priuilegia procurarunt,quia retro,non dubium,reſpexerunt,peccatũ inobedientiæ contraxerunt. Item,cùm dicatur in principio eiuſdem ſecundi capituli, *Si qui voluerint hanc vitam accipere, & venerint ad fratres noſtros, mittant eos ad ſuos miniſtros prouinciales, quibus ſolummodò, & non aliis recipiendi fratres licentia concedatur: miniſtri verò diligenter eos examinent de fide catholica, & de Eccleſiaſticis Sacramentis, & ſi hæc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri, & vſque in finem fideliter obſeruare,* &c. *Finito verò anno probationis,* &c. Fratres verò ecõtrario priuilegium procurarunt: quòd tam inferiores in ordine, quàm prouinciales miniſtri,poſſunt homines ad ordinẽ ſuum

recipere:imò ipsi fratres indifferenter hoc faciunt. Cùm ergò sic priuilegium procurandò volebant regulam in illa parte dissoluere seu laxare, consequitur quòd peccatum inobedientiæ commiserunt, aut si sine priuilegio ita agant, non minùs contra suam professionem inobedienter hoc agunt.

Item hoc idem consequitur propter illam clausulam regulæ, Ministri verò diligenter eos examinent, &c. Contra quam clausulam directè agunt quotidie, cùm quasi nullus ad eos accedat, nisi iuuenis circunuentus, qui nec nouit quot aut qualia sunt Ecclesiæ sacramenta, nec scit fidem ab hæresibus separare. Et nihilominus vix reperitur fratrum locus notabilis, quin sit ibi puerorum infra decennium conuentus vnus aut saltem dimidius. Quis potest ambigere quin istud in fratribus inobediētiæ sit peccatum, proueniens in ipsis ex priuilegiis prætactis, quibus ita ditantur, & taliter honorantur, quòd pueri ad eorum vota faciliter inclinantur, & præcipuè, quia audiunt confessiones in domibus suis & in domibus parentum puerorum huiusmodi. Igitur procuratio priuilegiorum istorum abusus eorum peccato inobedientiæ inficit ipsos fratres.

Item cùm in regula sanctiFrancisci dicatur, & in capitulo *Exiit*, de verborũ significatione, libro sexto, etiam declaretur à fratribus obseruandũ,quòd fratres nõ prædicent in episcopatu alicuius episcopi,cùm ab illo fuerit illis contradictum. Et sanctus Franciscus in testamento suo sic dicit, *Etsi haberem tantam sapientiam,quantam Salomon habuit,& inuenirem pauperculos sacerdotes huius sæculi in Parochiis, quibus morantur,nolo prædicare vltra voluntatem ipsorum,& ipsos & omnes alios volo timere, amare,& honorare,sicut meos dominos*, &c. *Et domini mei sunt.* Hæc ibi. Qualem verò reuerentiam fratres sacerdotibus pauperculis exhibeant,abscondi non potest, nec poterit,cùm sit nulla:sed irreuerentia vbilibet loco sui reperiri poterit subrogata. Et ipsi econtra priuilegium in capitulo, *Dudum*, contentum procurarunt sibi concedi:& sic procurando in voluntate sua peccatum inobedientiæ habuerunt: quia legẽ illam eis priùs impositam tollere voluerũt. Dicit enim beatus Augustinus super illo versiculo Psalmi 118. *Legem pone mihi Domine*:hoc modo, *Qui timore pœnæ,nõ amore iustitiæ opera legis facit, profectò inuitus facit:quod autem inuitus facit,si fieri posset,* vellet

vellet vtique non iuberi; ac per hoc legis, quam vellet non esse, non est amicus, sed potiùs inimicus, nec mundatur opere, qui immundus est voluntate. Hæc Augustinus. Constat autem quòd procurans, vt fratres non obtenta licentia Episcopi in sua diocesi possent prædicare & confessiones audire, volebat regulam illi contrariam omnino non esse: & sic extunc eam non amore iustitiæ, sed solùm timore pœnæ seruauerunt, & volebant eis illam iussam non esse, & ita non illius legis prioris amici, sed inimici tunc erant, & secundùm Augustinum immundi voluntate. Item, isti procurantes priuilegia, quæ suam regulam seu professionem impugnant, non possunt (vt videtur) fideliter eo casu proferre illam clausulam Orationis Dominicæ, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra*, Matth. vi. cap. cùm tamen ad id ex professione Euangelij teneantur. Sic enim Sanctus Franciscus suam regulam inchoat, Regula & vita Fratrum Minorum hæc est, scilicet Domini nostri Iesu Christi Euangelium obseruare; cùm nullis sit dubium, quin voluntas Dei, scilicet eius præceptum siue consilium sit, quòd fratres suam regulam ab eis professam in finem obser-

uent:cũ hoc etiã præcipiatur in regula, 2.c. Et illud procurãtes in corde suo ecõtra procurãt,vt obseruãtia relaxetur. Vnde cõsequitur quòd procurantes peccato inobedientiæ quoad Deum, & quoad suã regulã sunt infecti. Item ex alio capite videtur hoc ; quoniam nec confessiones audire, nec prædicationis officium exercere poterunt isti fratres, sicut nec alij, nisi ad sacros ordines promoti sint, ad quos cùm peccato inobedientiæ (vt videtur) promouentur : cùm sit lex communis Ecclesiæ, quòd nullus promoueatur ad ordinem sacrum, nisi habeat titulum sufficientem ad vestitum habendum & victum, qualem titulum quia fratres non habent, cùm sint (vt dicunt) verè mendici, contra hanc legem (vt videtur) omnes & singuli promouentur : & sic non tantùm inobedientiæ, sed etiam ambitionis, tam sublimem statum procurando sibi concedi, peccatum incurrunt. Item cùm regula Sancti Francisci præcipiat eodem capitulo, de prædicationibus, quòd nullus fratrum populo penitus audeat prædicare, nisi à generali ministro huius fraternitatis fuerit examinatus & approbatus, & ab eo prædi-

cationis officium fuerit ſibi conceſſum,& contrà eſt priuilegium procuratum, vt ſcilicet miniſtri prouinciales poſſint id facere. Fratres hoc procurantes iterum contra ſuam regulam procurabant, peccatum per conſequens inobedientiæ committendo. Item Sanctus Franciſcus in teſtamento ſuo ſic præcepit, Præcipio firmiter per obediētiam fratribus vniuerſis, quòd vbicumque ſint, non audeant petere aliquam litteram in curia Romana per ſe, vel per interpoſitam perſonam, neque pro Eccleſia, neque pro aliquo loco, neque ſub ſpecie prædicationis, neque pro perſecutione ſuorū corporum. Hæc ibi. Et fratres econtra per ſeipſos iſta priuilegia, & etiam per litteras procurabant, quoniam in ipſis priuilegiis continetur, veſtris precibus inclinati. Et ſic videtur, quòd illa procuratio ipſos procurantes inobedientiæ peccato infecit. Sed forſitan fratres hîc dicerent, quòd Dominus Papa Gregorius nonus, ſicut dicitur in decretali Domini Nicolai tertij, Exiit qui ſeminat, declarauit fratres non teneri ad mandatum Franciſci in illo teſtamento contentum. Et reſpondetur eiſdem fratribus, quòd Dominus Nicolaus non aſſerit quòd Gregorius nonus taliter declarauerit,

sed dicit, sicut asseritur. Vnde videtur quòd fratres super hoc nullam declaratoriam litteram habuerunt: quoniam verisimile est, si quam litteram habuissent, quòd illam exhibuissent coram Domino Nicolao. Et tunc (vt videtur) non dixisset, vt asseritur: sed vt in eorum litteris vidimus contineri. Item, esto quòd Dominus Gregorius taliter declarauerit, non aliud intendebat, quàm id quod suæ rationes concludunt. Dicit enim dominus Nicolaus in prædicta decretali, Exiit, isto modo loquens de ipso domino Gregorio nono; qui, sicut asseritur, attendens periculum animarum, & difficultates quas propter hoc possent incurrere, dubietatem de ipsorum cordibus amouens dixit, fratres ipsos ad ipsius mandati obseruantiam non teneri: quòd sine consensu fratrum, & maximè ministrorum quos vniuersos tangebat, obligare nequiuit, nec successorem suum quomodolibet obligauit, cùm non habeat in parem par imperium. Nos autem circa præsentem articulum nihil duximus innouandum. Hæc ibi. Vbi per id quod dominus Gregorius dixit, videtur quòd dominus Gregorius, si quid fecit, non aliud in hoc egit, quàm decretum

aut declarationem, quòd fratres ad illud mandatum Sancti Francisci non fuerant obligati, intelligendo, quatenus erat mandatum ipsius: quoniam nil ampliùs probāt rationes ipsius, scilicet quòd non fuerant euocati ad hoc omnes, quorum interfuit, & quòd par in parem non habet imperium. Cum qua declaratione videtur stare, quòd fratres illud testamentum nihilominus seruare tenebantur, & in præsenti tenentur, si auctoritate diuina per Franciscum illud traditum erat eis, quoniam ad mandatum Dei non oportuit vocare ministros, nec successor Francisci Deo mandanti par fuit: sic quòd rationes illæ non obstant; quoniam de mandato Dei & auctoritate eius, intimatis fratribus per Franciscum, fratres tunc tenebantur, & in præsenti tenentur illud testamentum seruare. Quòd autem sic fuerit, ex eodem testamento in fine videtur, vbi sic dicitur, *Et non dicant fratres, Hæc est alia regula, quia est recordatio, admonitio, & exhortatio, & meū testamentum, quod ego frater Franciscus paruulus facio vobis fratribus meis benedictis propter hoc, vt regulam, quam Domino promisimus, meliùs catholicè obseruemus, & generales ministri, & omnes alij mini-*

stri, & custodes per obedientiam teneantur in istis verbis non addere vel minuere, & semper hoc scriptum habeant secum iuxta regulam, & in omnibus capitulis, quæ faciunt, quando legunt regulam, legant & ista verba, Et omnibus fratribus meis clericis & laicis præcipio per obedientiam, vt non mittant glossas in regula, nec in istis verbis, dicendo, Ita voluit intelligi: sed sicut mihi dedit Dominus purè & simpliciter dicere, & scribere regulam, & verba ista ita simpliciter & sine glossa intelligatis, & sum sancta intentione obseruetis vsque in finem. Hæc ibi. Ex quibus videtur quòd fratres possunt vnum eligere de duobus, aut institutorem ordinis sui Franciscum mendacium affirmasse, & ita esse damnatum, vel verum esse quod dixit, quòd scilicet suum testamentum non est alia regula, sed recordatio priùs datæ: & ita sicut tenentur priorem regulam, sic & hòc testamentum tenentur seruare. Item cùm Franciscus affirmet, quòd propter hoc ipse testamentum hoc fecit fratribus suis benedictis, vt regulam quam Deo promiserunt, meliùs catholicè obseruarent: aut aliud fecit mendacium, &

iterum dicent illum damnatum, aut testamentum suum seruando, suam regulam magis catholicè obseruarent: & per consequens sine obseruantia testamenti illius minùs catholicè suam regulam obseruant: & ita fuerunt in procurando declarationẽ contrariam respicientes retro, & in via regni Dei retrogradi & inepti, & sic inobedientiæ peccato infecti. Item cùm ipse per obediẽtiam fratribus suis præceperit, quòd non adderent nec minuerent, & quòd istud testamentum semper iuxta regulam suam secum haberent, &c. quæ sequuntur: aut impiè in negotio tanti periculi præcepit, & astruere deberent propter hoc peccatum ipsum esse damnatum, aut iustè & sanctè ita præcepit. Et habent ostendere cur alleuiando tantæ sanctitatis pondus non respexerunt retro, sic se regno Dei faciendo ineptos. Item cùm in his verbis Franciscus affirmet, quòd Dominus dedit sibi simpliciter & purè hanc regulam, & hæc verba dicere & scribere: aut propter tantum mendacium in exitu huius vitæ dicent eum dãnatũ, aut verè Dominus dixit sibi, vt ita diceret fratribus suis: & sic ipse diuinũ mãdatũ in hoc fratribus suis dixit; & per consequẽs nõ obstante quòd illud testamentum

ratione mandati sancti Francisci non teneantur fratres seruare, nihilominus quia est mandatum Dei eis per sanctum Franciscum suum institutorem expressum, istud seruare tenentur. Eligant fratres quod voluerint ex duobus, & puto quòd eligent affirmare quòd sanctè sine tantorum mendaciorum peccatis decessit: & sequitur quòd fratres procurando litteras apostolicas contra mandatum Dei & suæ regulæ, se peccato inobedientiæ infecerunt. Loquor contra Fratres Minores diffusiùs super isto, quia ipsi Londonis inchoarunt negotium, occasionem aliis ordinibus ministrantes: & quia ipsi præ cæteris de perfectione Euangelica disputantes eam spontaneæ mendicitati ascribunt, in tantum, quòd vnus de ipso ordine prædicando in festo omnium Sanctorum, vt mihi fuit reportatum, descriptis quatuor gradibus paupertatis, quartum perfectionis maioris, imò summæ perfectionis Euangelicæ affirmabat, scilicet nihil in mundo habere proprium aut commune, sed mendicare cum Christo: quod dictum vestrum statum, sicut & omnium nostrûm, qui sùmus inferiores, Pater Sanctissime, scandalizat. Et ob hoc super hoc, sicut super

aliis suprataćtis, *Nolite iudicare secundùm faciem: sed iustum iudicium iudicate.* Videtur enim valde mirabile: imò veriùs loquédo verisimile non videtur, quòd per mille annos, & ferè ducentos nullus ordo erat in Christi Ecclesia militante, quam Ioannes Apostolus appellat Hierusalem versus finem Apocalipsis, xxi. cap. *Et ego Ioannes vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de cœlo à Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo*; qui perfectionem euangelicam obseruauit: sed quòd Franciscus ad hoc primò ordinem adinuenit. Si enim Ecclesia militans in verbis Ioannis (si pro quia) Hierusalem appellatur, cùm affirmet eam de cœlo descendere: satis constat quòd tempore illo Ecclesia militans, quia de cœlesti triumphante descendens sui institutoris Christi perfectionem habebat, tanquam sponsa Christo sponso suo ornata, non erat ita deformis, vt apice summæ perfectionis careret, tunc & tot annis sequentibus. Quis tolerabiliter possit audire quòd Franciscus in fide nouitius, meliùs atque vtiliùs viam humanæ perfectionis instituerit, quàm Deus omnipotens, omnibonus, omnisapiens fecerat in hominis institutio-

ne primaria : quem tamen ita Deus inſtituit, quòd eo formato ſtatim poſuit in paradiſo, vt operaretur & cuſtodiret illum, initio ſacræ Scripturæ tradente, vbi operationem corporalem, ſufficientiam ac poſſeſſionem bonorum immobilium, & eorũ, quæ pro ſuo vſu, cuſtodiam, mendicitati (vt mihi videtur) docuit præferendas: quoniam eum in paradiſo poſuit vt operaretur. Et alia ſcriptura concordat, *quia homo naſcitur ad laborem, vt auis ad volatum*, Iob quinto. Et vt illum paradiſum, ſcilicet tanquam ſuum, cuſtodiret, in quo bonorum mobilium & immobilium affluentiam obtineret. Sed de iſto infrà loquar diffuſiùs. Videtur igitur ex præmiſſis, quòd fratres procurando iſta priuilegia ſeipſos peccato inobedientiæ infecerunt. Item in procurando iſta priuilegia fratres videntur peccatum auaritiæ incurriſſe. Primò, quia non procurarunt ſibi priuilegia alia ſuper aliis articulis ſacerdotalis officij, ſcilicet vt poſſent pueros baptizare, vt poſſent in ſubſidium curatorum in die Paſchæ Parochianis Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare, aut extremæ Vnctionis eis Sacramentum conferre: vbi eſſet tantum meritum pietatis, quantum

in iſtis aut ampliùs:ſed ſuper his ſolis priuilegia huiuſmodi, omiſſis cæteris, procurabant, quibus directè vel indirectè commoda temporalia annectuntur; mirabiliores cunctis mercatoribus, & etiam artificibus in hoc effecti quoad lucrum, adiuncta ſua profeſſione quam fingunt ſuper ſua mendicitate ſeruanda. Non enim puto quòd erat à mundi origine via facilior ſiue callidior ad opes facilè acquirendas, quàm per præmiſſa priuilegia, mendicitatis ſanctæ obligatione verè ſeu fictè adiunctâ. Item cùm conſtet quod non obſtáte quòd fratres haberent poteſtatem liberam recipiendi ad ſepulturam in locis ipſorum, nihilominus remanere poterat in ſuo robore ius commune, ſcilicet quòd omnes oblationes & omnia funeralia deberentur Eccleſiis, & ipſorum curatis. Quòd igitur vnum cum altero à fratribus fuerit procuratum, patenter videtur innuere, quòd illius procurationis auaritia cauſa erat. Eſt enim regula Ariſtotelis, primo Poſteriorũ, Ad cognoſcẽdũ alicuius paſſionis ſeu effectus ſubiectũ ſeu cauſã præcipuã, inquiratur, quę eſt cauſa, qua immediatè poſita ponitur ipſe effectus, & qua perẽpta perimitur. Quæ regula ſatis affirmat, quòd commo-

dum temporale fuit in procuratione horum priuilegiorum causa præcipua : cùm non sine illa fiebat hęc procuratio, & ea sola fuerant procurata, quę ista commoda obtinebant. Cuius rei satis patens est signum, quòd non more Thobiæ ad sepeliendum rapiunt corpora pauperum defunctorum : sed instar vulturum vltra mare ad quingenta miliaria sua alimenta odorando sentientium, ea quærunt : sicut dicit Auerroes commentator, secundo de anima, si bene recolo, cap. de odore. Hoc enim signum satis affirmat quòd fratres istud sepulturæ cum aliis annexis oblationibus priuilegium propter alimentum præcipuè, non propter misericordiæ exercendæ meritum, procurarunt. Item de priuilegio audiendi confessiones omnium indistinctè aliud ptobabiliter (vt videtur) suspicari non poterit, cùm quisque sanctus præter ipsos audire confessiones horrescat : quoniam nimis est cuique peccata sua agnoscere, etsi aliena non discat. Vnde nec monachi albi aut nigri, nec regulares, nec seculares canonici officium tale desiderant aut alij viri sancti. Nec dubium si ex deuotione sanctâ talis procuratio procederet, quòd in aliquibus aliis vi-

ris deuotis, non in solis sanctis fratribus aliquoties appareret. Vnde probabiliter potest inferri, quòd auaritia tanquam causa præcipua in tali procuratione mētem procurantis infecit. Item ad hoc, cùm regula sancti Francisci præcipiat isto modo, Præcipio firmiter fratribus vniuersis, ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum: neque ingrediantur monasteria monacharum præter illos, quibus à sede Apostolica concessa fuerit licentia specialis; aut fiant compatres virorum aut mulierum, ne hac occasione inter fratres vel de fratribus scandalum oriatur: fratres econtrario procurarunt, videlicet vt audire possent consilia secretissima mulierū, reginarum, & aliarum omnium indistinctè, etiam capite inclinato ad caput multùm obedienter, non insequentes vestigia sancti Iob, qui dicit, *Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem de virgine: ita vt per tale consortium iam cum pulcherrimis dominabus philosophentur in cameris.* Vnde per orbem scandala, quæ nolo exprimere, de fratribus sunt exorta, patenter (vt multis videtur) per abusum huius priuilegij, imò per abusum suæ regulæ, à priuilegio occasione sumpta, inobe-

dientiæ peccato seipsos inficientibus. Item quòd horum priuilegiorum procuratio peccato superbiæ mentes procurantium infecerit, multipliciter suadetur. Primo, quia in decretali *Exiui de paradiso*, de verborum significatione, in Clementinis, affirmatur quòd sanctus Franciscus suos fratres in paupertate summa & humilitate fundare volebat. Et constat quod procurare honoris Ecclesiastici statum sublimem, humilitatem impugnat, & ambitionis peccatum habet annexum: ergò &c. Probatur minor assumpta per auctoritates iam tactas, & per illud Saluatoris filijs Zebedæi responsum, *Nescitis quid petatis*, ipsis per matrem suam petentibus quòd *vnus eorum sederet ad dexteram eius in regno suo, & alius ad sinistram.* Super quo dicit Chrysostomus in Opere imperfecto, *O error salutaris qui totius mundi soluit errorem. Si enim Apostoli non errassent: vnde nos cognoscere poteramus quia non omne, quod videtur bonum, desiderare bonum est. Nunc autem scimus quia aliud est opus bonum: aliud primatus honoris*; & citò pòst, *Nam desiderium primatus ex iactantia nas-*

citur cordis : qui autem est humilis corde, nunquam desiderat superior apparere. Et infrà, *Secularem quidem primatum desiderare etsi ratio non est, vel causa est; etsi iustum non est, vel vtile: primatum autem Ecclesiasticum concupiscere neque ratio est, neque causa; quia neque iustum est neque vtile.* Hæc ibi. Et multa addit similia quibus nititur suadere quòd nunquam sine ambitione desideratur primatus in Ecclesia. Constat autem quòd habere statum prædicandi & confessiones audiendi est in Ecclesia status honoris siue primatus. Inficit se ergò peccato superbiæ, qui illum procurat. Item confirmatur hoc aliter. Cùm enim Apostolus dicat: *Quomodò prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est, Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona?* Rom, x. cap. Nec ipsi sunt missi à Deo ad illud officium per aliquid quod ego viderim hucusque: sed videtur quòd ex præsumptione propria ad officium illud ascendunt. Caueant ne aliunde quàm per Christum ostium, vt latrones intrent, & ab eo iudicentur vt fures: iuxta dicta ipsius Ioannis x. cap. *Amen,*

amen dico vobis, Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed aliunde ascendit, ille fur est & latro. Et consequenter affirmat, *Ego sum ostium*: & sic videntur esse de eis, aut eis similes, de quibus dicitur prophetice Hieremiæ xxii. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Vnde citò adiungitur, *Ecce ego ad Prophetas, dicit Dominus, qui furantur verba mea vnusquisque à proximo suo.* Si enim non sunt missi à Christo, ipsi furantur verba curatorum & superiorum suorum, quibus solis de iure communi officium prædicandi dicitur conuenire. Item quòd obseruantia priuilegiorum istorum inficiat obseruantes modo præmisso, etiam suadetur, quoniam nec præcipitur fratribus, nec ad eorum professionem seu regulam pertinet prædicationis officium exercere. Vnde liberum eis videtur prædicare in publico, aut confessiones audire. Cùm ergò officium tale volunt admittere, peccare mortaliter videntur. Primò, quia noscunt aut scire deberent quòd priuilegia ipsa erant procurata mediantibus peccatis mortalibus suprataćtis, & pro vsu ipsorum. Cùm ergò illis vtuntur, gratificant procuratio-

nem

nem iniquam: ſicut quis manducans de rapina aut furto obtento pro vſu ipſius, gratificaret manducando ipſam rapinam aut furtum: & poſſidens beneficium ad eius commodum ſimoniacè procuratum communicaret cum procurante in ſimoniæ peccato, & illud gratum haberet, & eſſet ſub illo decreto Apoſtoli ad Rom. primo cap. *Qui talia agunt digni ſunt morte: non ſolùm autem*, &c. vt ſupra poſui. Nec excuſari per conceſſionem ſiue licentiam domini Papæ poterunt, vt videtur; quoniã dominus Papa in ſua conceſſione obſtantiam illam non poſuit, nec eum eam ponere decuiſſet, ſcilicet, Cõcedimus iſta fratribus, non obſtante conſcientia eorum peruerſa: ſed ſolas inſtantias iurium humanorum videtur intendere relaxare: ſicuti ſi homicidæ, aut ſimoniaco, aut habenti corporalem defectum latentem, qui eum redderet inhabilem, concederet facultatem plura beneficia curata retinendi; non propter hoc poteſt inferri quòd licitè ſiue iuſtè illa poterit retinere, ſed iuſtè ſecundum quid, ſcilicet quantùm ad hoc quòd non impugnaret illius legis obſtantiam: & ſic, ſi beneficia retineret, non obſtante diſpenſatione, peccaret mortaliter. Sic enim mihi

142

obſtante titulo acquiſito per dominum ſummum Pontificem reſtituere indirectè, licet non directè, arctari videntur: quoniam dominus Papa illam culpam gratificationis prætactam in concedendo priuilegium non relaxat: imò nec potuit relaxare fratribus ipſis non verè pœnitentibus aut contritis. Et quamdiu illud peccatum manet in fratribus, non poſſunt (vt videtur) veraciter pœnitere, niſi iura ſubtracta rectoribus, quantùm in eis eſt, reſtituant. Vnde videtur quòd fratres, quandiu non reſtituunt illa iura, quamuis etiam propter conceſſionem domini Papæ factam fratribus non debeantur de lege humana curatis, nō poſſūt veraciter pœnitere. Quis enim verè pœniteat de alicuius rei acquiſitione iniqua, & nihilominus de eius retentione lætetur? Nemo, vt videtur probabiliter iudicandū. Fratres igitur ipſa priuilegia obſeruantes, ſunt peccatis prætactis mortalibus inuoluti ſiue infecti. Itē de iſta licentia in caſu cōſimili tractat beatus Bernardus diffuſè in ſecūda epiſtola ad Adam monachū. Et eſt caſus quòd ille monachus poſt profeſſionē ſuā in monaſterio ſuo factam quod perpetuā moram ibidem, ſicut habent de more, vt dicitur, ad aliud mo-

nasterium cum suo abbate accessit : vbi moratus est de licentia sui abbatis & eius mandato, petita etiam super hoc summi Pontificis licentia & obtẽta: quem Bernardus apertè redarguens nititur ratione multiplici affirmare, quòd nec sine peccato, etiam de iussu sui abbatis, poterat hoc facere, nec de licentia summi Pontificis, cuius licentiam petere non debebat. Ad suadendum primum supponit vnum principium, quod etiam Aristoteles tertio. Ethicorum describit & ponit, scilicet quòd sunt aliqua bona simpliciter bona, quæ fieri malè non possunt, & aliqua mala simpliciter, quæ fieri bene non possunt. Et inter ista extrema sunt media, quæ bene fieri possunt & malè. Exempla primi sunt secundum eum, charitas, fides, & spes. Exépla secundi furtum, homicidium, incestus, & istis similia. Exempla tertij gradus sunt lectio, ieiunium, & istis similia, quæ etiam bene & malè possunt fieri iuxta conditiones annexas, in quibus solis, vt sibi videtur, obedientia locum habet. Hoc posito: inquirit in quo gradu sit hoc factum, in quo paruit iussui sui abbatis ; & affirmat quòd fuit in secundo, scilicet in gradu malorum simpliciter: ex hoc (vt sibi vide-

tur) verè concludens, quòd non potuit bene fieri, & ob hoc in hoc facto iussui sui abbatis parere non debuit, sed planè resistere, quia in tali opere de se malo, scilicet in dissolutione promissi, abbati debebat obsistere. Item ponit pro regula quòd duobus præcipientibus contraria, potiùs maiori est parendum. Cùm igitur Deus præcipiat vota seruare, & obedientiam sibi debere seruari: si abbas suus Deo inferior præceperit illud dissoluere, debebat Deo potiùs obedire, mandato sui abbatis contempto. Item sanctus Bernardus allegat illud Saluatoris Matth. xviij. cap. *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Væ mundo à scandalis: necesse est enim vt veniant scandala: veruntamen væ homini illi, per quem scandalum venit.* Atque adiungit quòd iste Adam monachus suum monasterium deserendo, non solùm scandalizauit vnum Christi pusillum, sed multos. Ex hoc apertè (vt sibi videtur) concludens, quòd ipse væ illud Saluatoris incurrit sua abbati parendo in casu præmisso. Vtinam igitur fratres attenderent qualiter istorum

priuilegiorum abuſu ab eis non ſolùm ſcandalizantur pauci puſilli, ſed puſilli & magni per totam Chriſti Eccleſiam: & ex illo coram Deo ſanctè concludetur quid merentur. Et multa alia ibi adduxit. Item, quantùm ad licentiam Summi Pontificis, dicit apertè quòd affert mali compendium, quia non excuſat factum ſequens de ſe malum: & eius petitio fuit mala: quoniam, vt dicit, velle habere ad malum licentiam, ſemper eſt malum. Item quantùm ad Dominum Papam concedentem licentiam, ipſa ſic dicit, Quis malum eſſe neget aſſenſum præbere malo? Quod tamen feciſſe ſummum Pontificem nequaquam crediderim, niſi aut circumuentum mendacio, aut importunitate victum. Hæc eſt ſancti Bernardi ſententia. Videant ipſi fratres an non ita ſit contra iſtam licentiam impetratam per eos, ſicuti contra Adæ monachi licentiam procuratam, & cum ſancto Bernardo concludant, quòd peccatum procurationis licentiæ cum inobedientia & ſolutione ſuæ regulæ ſubſecuta; affert eis mali compendium, ſicut ipſe Bernardus affirmat in ſimili. Item ex quo quiſque frater, cùm prædicationis officium, aut audiendæ confeſ-

 174

sionis exercet, posset id respuere sine peccato; consequitur (vt videtur) quòd ipse illud officium tunc contra suam professionē gratis assumit: & ita sicut in procuratione priuilegiorum parum superiùs est suasum, quòd procurantes peccauerunt mortaliter contra diuina præcepta ibi expressa: sic iste peccat mortaliter contra eadem diuina mandata liberè vtendo licentia impiè procurata, & inficitur peccatis iniuriæ, inobedientiæ, auaritiæ, atque superbiæ, vt videtur; cùm ex eisdem causis iniquis ipse vtatur licentia procurata, ex quibus aliud procurauit, scilicet propter ditationem & honorem. Vtinam adulterium huius vsus licentiæ causa tertia non existat, licet super hoc in clero & in populo sit communis fama. De ista priuilegiorum materia & eorum abusu & contrarietate ad professionem fratrum; & quoad duas conclusiones per me suasas superiùs, ista mihi sufficiant in præsenti. Alia plura, si oportebit, adiiciā, & non ambigo, quin, si nollem illud facere, alij non omitterent. Super istis omnibus per me modò petitis atque expressis, Pater Sanctissime, *Nolite iudicare secundùm faciem: sed iustum iudicium iudicate*, per vestram Sāctitatē, aut per ali-

quos meos dominos Cardinales, ſuſpenſo vſu priuilegiorum prætactam per me materiam contingentium in quacumque ſui parte, lite pendente: & prædicta conſtitutio declaretur, ſi id fuerit viſum iuſtum.

¶ Prima concluſio erat, quòd Dominus Ieſus Chriſtus in conuerſatione ſua humana ſemper pauper erat, non quia propter ſe paupertatẽ dilexit aut voluit. Verùm quia, quoad paupertatem, quam Dominus noſter ſuſtinuit, mihi aduerſantes & ego non fuimus contrarij, ſed quoad modificationẽ adiectam, non quia propter ſe paupertatem dilexit aut voluit, illam particulam ſuadebo. Primò, quia eſſe pauperem eſt eſſe miſerum ſiue in miſeria: nemo verò propter ſe diligit miſeriam: ergo nullus propter ſe diligit paupertatem. Item ſecundùm doctrinam Ariſtotelis primo Ethicorum: Nihil eſt propter ſe diligibile, niſi quod ſublato omni commodo ſubſequente gratuitè captaretur: paupertas verò, etſi propter eius tolerantiam homines mereantur, tamen ſi nihil commodi propter eius tolerãtiam ſequeretur, nec à Deo, nec ab homine, nec à diabolo captaretur: igitur paupertas à Chriſto nunquam propter ſe eſt dilecta

Item nullus effectus peccati est propter se diligibilis: sicut nec ipsum peccatũ est propter se diligibile, etiamsi corrupto animo diligatur:paupertas verò est effectus peccati:ergò,&c. Probatur minor, quoniam si primi parentes nostri innocentiam tenuissent, nunquam de nostra progenie pauper aliquis extitisset. Item nulla priuatio boni est propter se diligibilis, cùm omnis habitus bonus sit propter se diligibilis: & iuxta regulam Philosophi tertio Topicorum, si propositum de proposito, & oppositum de opposito;ita quòd si habitus est bonus, priuatio eius est mala, & si priuatio est bona, habitus eius est malus:Ditatio verò, qui est habitus,bona est & Deo amabilis,cùm ipse summè sit diues:ergò paupertas, quæ ditationem priuat,est mala:non est ergò propter se diligenda paupertas. Et videtur mihi nimis puerile ad istud probandum insistere,cùm nemo(vt puto) nisi propter defectum in Philosophia aut in Logica diceret oppositum.

Secunda conclusio erat, quòd Dominus noster Iesus Christus nunquam spontaneè mendicauit. Quam sic primò suasi. Si ipse spontaneè mendicasset, contra diuinum mandatum egisset, *Non concupisces domum*

proximi tui: non deſiderabis vxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt, Exodi xx. cap. quoniam qui ſpontaneè mendicat, petit & per conſequens concupiſcit rem proximi ſui: igitur qui ſpontaneè mendicat, facit contra diuinum præceptum: quod de Chriſto nemo auderet aſtruere. Item ſi Chriſtus ſpontaneè mendicaſſet, aliud mandatum diuinum ſoluiſſet, ſcilicet, *Omnino indigens & mendicus non erit inter vos.* Deuter. xv. cap. quoniam non ſolùm ſolueret legem regiam præcipientem, quòd in ciuitate nõ ſit quiſpiam inermis, qui permitteret alios eſſe inermes, cùm poſſet aliis de armis ſuccurrere. Sed & ille, qui cùm poſſet remanere armatus, arma ſua ſponte in flumine demergeret. Sic ille ſacerdos in Eccleſiæ legem delinqueret, qua Sacerdotibus eſt præceptum, vt offerant dona & ſacrificia pro peccatis, qui ad hoc ſponte ſe redderet impotentem ſiue inhabilem. Sed nemo (vt æſtimo) auderet de Saluatore aſſerere quòd fecerit contra diuinum mandatum: nunquam ergò ſpontaneè mendicauit, gratis ſe faciens mendicum. Nec fingere quis poteſt quod præmiſſum præce-

ptum est cærimoniale, cùm sit verè morale & arctius in lege noua, quàm in lege antiqua expressum : cùm Saluator præcipiat Lucæ xi. cap. *Quod superest date eleemosynam : & ecce omnia munda sunt vobis.* Vbi quidquid est vltra sufficientiam præcipitur dari, vt nullus mendicus aut omnino egens in plebe remaneat : & non seruanti comminatur pœna æterna, Matthæi xxv. isto modo, *Esuriui, & non dedisti mihi manducare, &c. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Vnde clarescit, quòd arctius Christicolæ obligantur ad non permittendum inter eos mendicos, quàm homines sub lege antiqua. Item Christus imperatoriæ legi erat subiectus, quoniam & soluit tributum Cæsari, sicut legitur Matthæi xvij. cap. Vbi sic dicitur, *Et cùm venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei : Magister vester non soluit didrachma? Ait : Etiam. Et cùm intrasset in domum, præuenit eum Iesus, dicens ; Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit ; ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergò liberi sunt filij. Vt autem non scan-*

dalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum:& eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle:& aperto ore eius, inuenies ſtaterem: illũ ſumens, da eis pro me, & te. Hæc ibi. Et decreuit tributum illi eſſe ſoluendum, cùm quærentibus ab eo, *an liceret cenſum dare Cæſari, obtulerunt ei denarium, cuius ſuperſcriptio Cæſaris erat:& ait illis, Reddite ergò quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo,* Matthei. xxij. cap. Nec fuiſſet conueniens (vt videtur) quòd ipſe tanquam legem comunem decreuiſſet eſſe ſeruandam, quam ſubire nolebat. Voluit igitur tali legi eſſe ſubiectus. Sicut erat ſubiectus Ioſeph fabro, tantò magis (vt videtur) voluit eſſe ſubiectus legi Imperatoriæ, quia fuerat naturalis: quæ præcipiebat vt mendicãtes validi non remanerent in ciuitatibus: & quãtò magis nec mendicantes ſpontaneè in ciuitatibus debuerant remanere? Item ſi Chriſtus ſpontaneè mendicaſſet, legem de dilectione proximi mendicando ſoluiſſet; quoniam qui verè diligit proximum ſuũm, ſicut ſeipſum, non vexat eum indebitè; ſicut nec vellet ſeipſum à proximo vexari indebitè: Petere verò à proximo quod ſuũ eſt, non egendo, eſt ipſum vexare indebitè: Chriſtus ergò nunquam ſic egit. Item cùm

Scriptura dicat, Proximo suo pauper odiosus erit, Prouerbiorum xiiij. cap. quantò magis mendicus proximo redditur odiosus? Si ergo Christus spontaneè mendicasset, sponte se reddidisset proximo suo odiosum: quod non videtur, nisi alia rationabilis caussa subesset. Item si Christus spontaneè mendicasset, offendiculum euangelio suo posuisset, quod ipse miraculis confirmauit, quoniam audientes eius doctrinam, & videntes eius miracula rationabiliter (vt videtur) potuissent dicere, illa potiùs esse illusiones, & magica quàm vera miracula, cùm sit verisimile, quòd quilibet sibi potiùs ac priùs succurrere deberet quàm alteri. Quomodò ergò pasceret ista quatuor aut quinque millia hominum faciendo miraculum, qui sibi non poterat procurare victum: sicut aliàs illudebant ei in cruce pendenti, ita dicentes. *Alios saluos fecit: seipsum non potest saluum facere. Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei,* Matthæi xxvij. cap. Item si Christus spontaneè mendicasset, legem suam propriam (quam dicit esse legem & Prophetas) soluisset; *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, vos facite illis: hæc est enim lex & propheta,* Matthæi vij. cap. quoniam nec

ipse aliis velle debebat vt sine proximi indigentia inquietarentur ab eo: quod tamen facit quisque sponte, scilicet non egendo, mendicans. Item Paulus Apostolus 1. ad Timoth. vj. cap. condemnat eos, qui quæstũ æstimant pietatem: quidquid verò Paulus condemnat, Christus per Paulum condemnat, qui euangelium suum accepit per reuelationẽ ipsius, vt ipse Paulus affirmat ad Galatas primo capit. Igitur si Christus spontaneè mendicauit, cùm spontaneè mendicare sit quæstum expetere, vel veriùs procurare, Christus exercuit per seipsũ quod condemnauit per Paulum, & erat sibi contrarius, quod nefas est dicere: ergò Christus nunquam spontaneè mendicauit. Item si Christus spontaneè mendicauit, Christus facto fecit mendacium; quoniam ita quis facto contra mentem agendo, sicut verbo, mentitur: qui verò non egendo, sed spontaneè postulando eleemosynam, affirmaret verbo se esse egenum siue mendicum, mentiretur in verbo. Igitur qui ita petit eleemosynam non egendo, facto mentitur, quod nemo dicet de Christo. Item si Christus spontaneè mendicauit, verè fuit hypocrita, apparens mendicus, non verè mendicus existens: Christus verò nũquam

 178

fuit verè mendicus,quoniam nullus eſt verè mendicus,quamuis mendicet,ſed fictus, qui ſibi poteſt ſufficere: qui verò mendicat ſpontaneè, eſt ſibi ſufficiens; aliàs non ſpontaneè,ſed impellente indigentia mendicaret:Chriſtus ergò ex quo non erat hypocrita,nunquam fictè aut ſpontaneè mendicauit. Item ſi Chriſtus ſpontaneè mendicauit,cur Petrus Apoſtolus matrem ſancti Clementis diſcipuli ſui, quam ad laborandum manibus æſtimabat fuiſſe robuſtã, quia eã inter mendicantes reperit, acriter increpauit:ſicut feciſſe legitur in vita ſancti Clementis? Ex quo in hoc ſecuta eſt Chriſtum;qui Chriſtũ dicũt ſpontaneè mẽdicaſſe,habent oſtendere,quod,vt videtur, non poſſunt.Nunquam ergo Chriſtus ſpõtaneè mẽdicauit. Item ſi Chriſtus ſpontaneè mendicauit, Clemens Petri ſucceſſor multùm errauit, qui mẽdicitatem in cũctis conuerſis ad fidem pro viribus excludere laborauit;ex hoc ſpecialiter ab Eccleſia cõmendatus:cùm mendicitas ipſorum perfectionem ſecundùm iſtam philoſophiam auxiſſet.Item ſi Chriſtus ſpontaneè mẽdicauit,cur Clemens Iacobo Hieroſolymitano Epiſcopo in epiſtola ſibi directa, vt ponitur in Decretis xij. quæſtione 1. cap. Di-

lectissimis;Doctrinis & exemplis Apostolorum obedire præcepit,si mendicare ad perfectionem vitæ pertineat,& inter Apostolos & discipulos(vt ibi præmittitur) nullus erat egens. Sic dicentes habent ostendere. Item si Christus summus Sacerdos existens spontaneè mendicauit, Ecclesia sancta scienter errauit,cùm statuit nullum debere sine sufficienti titulo ad sacros ordines promoueri,cùm caput Ecclesiæ suo exemplo docuerit mendicandum. Item si Christus spontaneè mendicauit, scandalum intulit ordini clericali,cùm iuxta canonicas sanctiones Episcopus, aut clericus mendicans inferat ordini clericali opprobrium.Item si Christus spontaneè mendicasset, reddidisset seipsum de peccato suspectum:quoniam sibi verecundiam intulisset; cùm non aliunde præcipuè dicatur spontanea mendicatio meritum mendicāti acquirere,nisi quia est actus humilis atque difficilis propter annexam erubescentiam naturalem:erubescentia verò siue verecundia non cadit in hominem studiosum:sicut affirmat Aristoteles quarto Ethicorum in fine:non ergò erat in Christo: & per consequens nec spontaneè mendicauit.Item si Christus spontaneè mendicauit;

uit;mendicare ſpontaneè ad perfectionem vitæ pertinuit, ineptè igitur dedit Dominus legem antiquam, ſtatuens vt ſacerdotes,in quibus debebat eſſe ſumma vitę perfectio,poſſeſſiones haberent & decimas, ſi eis fuiſſet perfectius mẽdicare.Itẽ totus mũdus ſub lege naturę erraſſet,ſtatuens ſacerdotibus de publicis horreis certa cibaria,ſicut legitur in fine Geneſis,ſi eis fuiſſet amplioris meriti mẽdicare.Itẽ ſi Chriſtus ſpõtaneè mendicauit,tunc mendicitas ad perfectionẽ euãgelij pertineret;&Eccleſia Dei errauit ſciẽter, dotationẽ Eccleſiarũ admittens;& ſic perfectionẽ ſuorũ prælatorũ imminuens,quod dicere nefas mihi videtur: licet neſcio quæ sõnia ferãt cõtrariũ. Item ſi ſic mendicatio ſiue mẽdicitas ad perfectionẽ vitæ pertineret chriſtianæ, vt à fratribus mendicãtibus affirmatur , cur nec Chriſtus,nec Spiritus ſanctus in Scripturis ſacris ſuper hoc alicubi nos inſtruxit? Videtur nimis mirabile,nec veriſimiliter credi poteſt : & puto quòd erit mirabilis qui à principio ſacræ Scripturæ vſque in finem vnũm ad hoc verbum notabile poterit inuenire,quod ad illum ſenſum ſit dictum.

Itẽ cũ Chriſtus diſcipulis ſuis promiſerit,

Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, Ioan. xvj. cap. aut Spiritus Sanctus ſui officij erat oblitus, quando venit ad Apoſtolos in die Pentecoſtes, non docens hanc veritatem mendicitatis Apoſtolos; cùm de hoc penitus in eorum actibus nihil appareat: aut ipſi poſteris inuidentes veritatem eis edoctam à Spiritu Sancto eis tradere noluerũt: quorum neutrum prouidus homo affirmabit: non ergò pertinuit ſpontanea mendicatio ſiue mendicitas ad tradendam per Apoſtolos veritatem. Item quid dicetur de Melchiſedech, qui erat ſacerdos Dei altiſſimi, & rex Salem, quem ſupra Abraham Paulus extollit, ad Hebræos vij. cap. Qualiter ſine mendicatione ſpontanea tantus erat? Cur ipſe, ſecundum cuius ordinem Chriſtus erat ſacerdos, non vt Chriſtus ſpontaneè mẽdicauit ordinẽ ſuum tradens? Habent contrarium affirmantes oſtendere. Item, cùm Propheta dicat propheticè, *Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem*: cur econtra Chriſto, qui erat iuſtiſſimus, aſcribitur contra ſermonem propheticum, quòd panem mendicando quæſiuit? Rationabile non videtur. Item, ſi Chriſtus ſpontaneè mẽdicauit, cur

mittens discipulos ad euangelium prædicandum non id eis præcepit: sed directè contrarium; scilicet vt de mercede laboris sui manducarent & biberent, ita dicens. *In quancunque domum intraueritis, in eadem domo manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua*, Lucæ x. cap. Item si Christus spontaneè mendicauit, nunquam laborem ad victum acquirendum mendicationi præposuit: quoniam si econtra fecisset, & tamen laborem aliquoties prætulisset, nullus ex eius operibus didicisset, nunquid eligibilius esset, videlicet victum sine mendicatione manuum labore perquirere, an labore postposito mēdicare. Quòd autem Christus victum laborando sibi acquisiuit, per hoc videtur probabile, quod à vulgo vocatus est nō solùm filius fabri, sed faber: quoniam ex hac appellatione vulgari videtur, quòd pro victu suo cum Ioseph patre eius putatiuo opus fabrile exercuit. Pro ista conclusione ad nunc ista sufficiant, donec per aduersantes fortiora adducenda ista impugnent.

Tertia conclusio huius materiæ fuit, quòd Christus nunquam docuit spontaneè mendicare. Hæc taliter suadetur: *Chri-*

ſtus cœpit facere & docere, Act.1. cap. Si igitur Chriſtus mēdicare ſpontaneè docuiſſet: cùm iuxta præcedentem concluſioné nunquam ſpontaneè mendicauit, fuiſſet ſibi cōtrarius (vt videtur) in opere & ſermone, ſcilicet docens & non faciens: quod verisimile non videtur. Itē ſi Chriſtus nunquam ſpontaneè mendicauit, & alios docuit mendicare: reddidiſset ſe de ſua doctrina ſuſpectum: ſicut in argumento 6. concluſionis prioris. Item potuiſset offendiculum euangelio ſuis Apoſtolis, ſicut deducitur in 6. argumento ibidem. Item ſic docendo, legem imperatoriam iuſtam ſoluere docuiſset: ſicut ibi in 3. argumento. Item ſi docuiſset ſpontaneè mendicandū, docuiſset contra leges ſuperiùs allegatas & rationes quaſi omnes ad præcedentem concluſionem adductas, quæ ita iſtam ſicut illam affirmant. Item, ſi Chriſtus docuiſset ſpontaneè mendicandū, tunc Petrus particeps huius doctrinę minùs prudenter egiſſet in allegando cauſas meritorias præmij ſibi reddendi, illā tam ſublimem ſecūdùm iſtos cauſam merendi omittens: cùm dicit, ſicut legitur Mat.xix. cap. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te* : non addens, *& mendicauimus ſpontaneè propter te*: quod quia nō fecit, cōſequi ſatis videtur, quòd il-

181

la cõditio ad ſtatũ perfectionis nõ pertinet.

Quarta concluſio fuit quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus docuit nõ debere homines ſpontaneè mendicare: ſicut ſcribitur Lucæ xiiij. cap. Cùm facis conuiuium, voca pauperes debiles, claudos & cæcos, & beatus eris: quia non habent vnde retribuere tibi poſſint. Igitur non debent vocari ad mendicorum conuiuium pauperes fortes ſiue robuſti: quia poſsunt retribuere, ſaltẽ ſuo labore: ſicut nec diuites debiles, claudi, aut cæci debent ad tale conuiuium vocari, quia habent vnde retribuere poſſunt. Non cerno cur ſurdos, mancos, aut mutos non nominat inter vocãdos, niſi quia ipſi, ſi nec ſint debiles nec claudi, nec cæci, poſſunt mendicando tranſire de loco in locũ; quod facere nequeunt debiles claudi, & cæci. Sed domini fratres iſtam expoſitionẽ ponunt inter errores. Itẽ Paulus Apoſtolus tanquã decretũ affirmat, *Qui non vult operari, non manducet*, loquens de hominibus, qui aliũde victũ de certo non habent, 2. ad Theſſ. iij. cap. Et ſequitur pœna, quam præcipit nõ parenti ſuis dictis infligi, *Quòd ſi quis non obedierit verbo noſtro per epiſtolam: hunc notate, & ne cõmiſceamini cum illo, vt confundatur.* Nec dubium quòd non præci-

peret tam grauem pœnam negligenti laborare, nisi valde graue in tali casu delictũ cõmitteretur. Præmittit enim ibi de seipso hoc modo, *Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos; quoniam non inquieti fuimus inter vos: neque gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrũm grauaremus. Non quasi non habuerimus potestatem: sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cùm essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, vt qui non vult operari, non manducet*: vbi satis apparet quod à fortiori volebat arguere, scilicet ex quò ipse, qui potestatem habuit sumendi carnalia ab his, quibus tanquam verus Apostolus seminabat spiritualia, ne quemquam grauaret, sed potiùs nocte & die in fatigatione erat, atque labore pro victu: tantò magis alij potestatem huiusmodi non habentes laborare deberent, non inquietando alios mendicare. Et vtinam hi homines, qui laboritium mendicationi postponunt, attenderent librũ beati Augustini de opere monachorum, vbi hanc quæstionem pertractans per totum librũ, vsque prope finem conatur ostendere quòd labor debet oti-

18C

cōtēplationis præferri, cuius in præſenti rationes omitto, ſed aliàs eis vtar. Item ex quo ſacra Scriptura pigrum hominem reprehēdit hoc modo, *Vſquequò piger dormis?* &c. *paululum conſeres manus, vt dormias: & veniet tibi quaſi viator egeſtas, & pauperies quaſi vir armatus.* Prouerbiorum vi. & xx. cap. *Propter frigus piger arare noluit: mēdicabit ergò æſtate, & non dabitur illi.* Et mulierem fortem, cuius digiti apprehenderunt fuſum, cōmendat, Prouerb. xxj. cap. Conſtat quòd per hoc diſſuadetur mendicationis otium labore neglecto. Item S. Franciſcus in ſuo teſtamento ſic dicit: *Et ego manibus meis laborabam, & volo laborare: & omnes alij fratres firmiter volo, quòd laborent de laboritio, quod pertinet ad honeſtatem: & qui neſciunt, diſcant, non propter cupiditatem recipiendi mercedem laboris: ſed propter exemplum boni operis, & ad repellendum otium: & quando non datur nobis pretium laboris, recurramus ad mēſam Domini petendo eleemoſynas oſtiatim.* Hæc ibi. Et in regula ſua ſic dicit, *Fratres illi, quibus gratiam Dominus dedit laborandi, laborēt fideliter & deuotè.* Vnde eſt valde mirandum qua fronte fratres audeant aut ſpontaneā mendicationem exercere, aut m-

dicationem labori ecõtrario suo institutori præferre. Et eò ampliùs est mirandũ quòd homo ad laborem nascitur, vt dicitur Iob v. cap. & mendicare est contrà legẽ institutionis nostræ primariæ, qua seruata nullus fuisset vnquam mendicus siue mendicans. Item Christus in hoc non mendicare spõtaneè docuisse videtur, quòd ipse in sua persona vti potiùs miraculo voluit, quàm voluit mendicare: scilicet cùm misit Petrum ad mare, vt staterem in ore piscis inuentũ reciperet, & exactoribus didragmatis pro se & pro Petro Petrus exolueret; cùm tamen eo casu tam honoratus in populo staterem mendicando facilè impetrasset. Item alia facta eius idẽ videntur ostendere: quoniã potiùs vsus fuisse videtur illa lege diuina: *Dignus est operarius mercede sua*, Lucæ x. cap. ac Mat. x. *Dignus est operarius cibo suo*: sicut discipulis suis indixit, quando asinã, cui insedit, sibi iussit adduci: & quando apertè Zachæo præcepit, *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere*. Vbi tanquam ad hoc potestatem habẽs apertissimè imperauit, *Festinans descende*. Sic quando erat in templo, & circumspectis omnibus, cùm iam vespera esset hora, exiuit in Bethaniã cum duo-

decim, sicut legitur Mar. xi. potiùs illo iure vti voluit, quàm ab aliquibus mendicare. Priùs enim in Bethania euangelium nunciabat. Aut si potestate hac vsus nō fuerat, sed declinabat ad amicos: tunc saltem maluit amicos suos onerare, quàm ab aliquo mendicare: sic suis operibus nobis ostendens, quòd non, nisi impulsu egestatis, debemus ab aliquo mendicare. Itē hoc apertè precepisse videtur discipulis suis eos mittens, *Nolite transire de domo in domum*, Lucæ x. cap. quod tamen de cursu communi oportet facere mendicantes, scriptura nihilominus alia affirmante, *Vita nequam hospitari de domo in domum.* Ecclesiast. xxix. cap. Sacra Scriptura alibi talem mendicitatem pariter reprobante, hoc modo, *Pes fatui facilis in domo proximi*, Ecclesiast. xxi. cap. & Ecclesiast. xl. cap. *Fili mi tempore vitæ tuæ ne indigeas: melius est enim mori quàm indigere. Vir respiciēs in mensam alienam, non est vita eius in cogitatione victus: alit enim animā suam cibis alienis. Vir autē disciplinatus & eruditus custodiet se: in ore imprudētis condulcabitur inopia: & in vētre eius ardebit ignis.* Hæc ibi. Itē iuueni, vt esset perfectus, ita cōsuluit, *vt vēderet omnia sua, & daret pauperibus, & sequeretur eum:*

vbi ſequelam, non dubium, in modo viuendi debemus accipere. Cùm igitur ſecunda concluſio firmauit quòd Chriſtus nunquam ſpontaneè mendicauit: conſequitur quòd ſine ſpontanea mendicatione docuit iuuenem debere ipſum ſequendo eſſe perfectum: & ſic ſaltem perfectos docuit non debere ſpontaneè mendicare. Ex his probabiliter poteſt inferri, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus docuit hominem non debere ſpontaneè mendicare.

Quinta concluſio huius materiæ mendicitatis erat, quòd nullus poteſt prudenter & ſanctè ſpontaneam mendicitatem ſuper ſe aſſumere perpetuò obſeruandam. Iſta ſequitur planè ex aliis ſuprà ſuaſis, quoniam ex quo talis mendicitas vel mendicatio eſt diſſuaſa à Chriſto, à ſuis Apoſtolis & diſcipulis, & ab Eccleſia ac ſacris ſcripturis, ac etiam reprobata: conſequitur quòd non poteſt prudenter & ſanctè aſſumi hoc modo: quamuis ſecundùm æmulationem Dei poſſit aſſumi; ſicut Marcus imprudenter, etſi zelo bono, pollicem ſibi præcidit. Item ſic mendicitatem aſſumens ſe in tentationem inducit contra doctrinam Oratio-

nis Dominicæ Matthæi vj. cap. *Et ne nos inducas in tentationem.* Quâ enim conſcientiâ poteſt quis petere à Deo, ne Deus inducat eum, ſeu permittat induci in tentationem, qui ſe ſpontaneè in tentationem inducit? Quæ enim eſt maior tentationis occaſio, quàm mendicitatem aſſumere? Cùm Salomon apertè dicat & pronunciet: *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: ſed victui meo tantùm tribue neceſſaria, ne fortè ſatiatus illiciar ad negandum te, & dicam, Quis eſt Dominus? & egeſtate compulſus furer & periurem nomen Dei mei*, Prouerbiorum xxx. cap. vbi patenter oſtendit quòd mendicus ad furtum & periurium nominis Dei ſui facilè impulſu egeſtatis vrgetur. Vnde Eccleſiaſtici xxvij. cap. dicitur, *Propter inopiam multi deliquerunt.* Conſtat ergò quòd qui mendicitatem ſuper ſe ſponte aſſumit, occaſionem grauem & facilem tentationis aſſumit.

Item mendicitatem aſſumens ad officium ſacerdotale, imò ad omnes ordines ſacros (vt videtur) ſe reddit inhabilem, cùm ſine titulo ſufficienti de victu & veſtitu ſecundùm leges Eccleſiæ

ſtatum talem habere non poſſit : quod non videtur prouidè eſſe factum, ſed potiùs imprudenter. Item taliter mendicitatem aſſumens ſe arctare videtur ad Dei leges prædictas in concluſione ſecunda de Chriſti mendicitate ſoluendas ; ſcilicet, *Non concupiſces domum proximi tui*, &c. *Et*, *Omnino egens & mendicus non erit inter vos.* ; *Et*, *Omnia quæcunque vultis*, &c. Et ferè rationes omnes trium concluſionum præcedentium hanc concluſionem vt illas, affirmant. Vnde non video, vt in ſermonibus, de quibus in propoſitionis iſtius principio mentionem iam feci, qualiter iſta opinio de obſeruantia mendicitatis ſpontaneæ fuerit introducta : niſi aut ignorando ſcripturas, aut vt fingendo eam eſſe Chriſti vitæ conformem, per ipſam quæſtus amplior haberetur.

Vnde ſexta concluſio materiæ huius erat, quòd non eſt de regula Fratrum Minorum mendicitatem ſpontaneam obſeruare, ſicut oculatâ fide poterit ſuaderi per hoc, quòd in regula, & in teſtamento Sanctus Franciſcus ſuis fratribus indiſtinctè mendicationi præfert laborem. Item rationes concluſionum præ-

cedentium istam probant, vt illas, principio hoc adiecto, quòd regula ipsa est sancta: quod principium asseritur & probatur in cap. *Exiit*, supradicto.

Septima conlusio huius materiæ erat, quòd bulla domini Alexandri quarti, quæ libellum magistrorum condemnat, nullam præmissarum conclusionum impugnat. Hoc taliter suadetur, quia dominus Ioannes vicesimus secundus in constitutione sua, *Quia quorundam*, dicit expressè quòd dominus Nicolaus tertius illam bullam & omnes litteras prædicti Alexandri quarti, quantùm ad omnes articulos, quos sua declaratio continet, reuocauit. Constat autem quòd paupertatem Fratrum Minorum, quàm arcta esse debeat, Nicolaus tertius declarauit: quam fratres mendicitatem intelligunt. Item constat quòd dominus Nicolaus de fratrum labore declarat, & etiam de prædicatione non facienda in episcopatu alicuius episcopi, vbi fratribus fuerit contradictum: ergò quoad istos articulos bulla domini Alexandri est à Nicolao cassata: nec in ipsa bulla recordor aliud quicquam esse, quod aliquam præmissarum conclusionum infirmet. Dicerem multò plura obiiciendo

contra mea propria dicta; & respondendo præmissa, quæ dixi, ampliùs solidarem: sed Sanctitatem vestram & dominorum meorum reuerentiam satis vexaui. Vnde concludo & humiliter ac deuotè deposco, quòd super his sicut super prima materia per me tacta iuxta petitionem, quam feci, *Nolite iudicare secundùm faciem: sed iustum iudicium iudicate.*



EX CODICE M S. BIBLIOtheca S. Victoris Parisiensis.



Voniam in propositione nuper facta coram Domino nostro Papa, & reuerendissimo cœtu Dominorum meorum Cardinalium super materia priuilegiorum fratribus de ordinibus mendicantium concessorum, & mendicitatis, super qua ijdem fratres se fundatos affirmant, rationibus per me factis obiicere intendebam, & ad enucleationem totius materiæ eisdem obiectionibus respondere. Quod tamen tunc propter temporis breuitatem perficere non valebam, in sermone per me facto ad clerum in domo audiētiæ publicæ in festo S. Thomæ Cantuariēsis martyris gloriosi obmissa suppleui. Et facta protestatione in publico, quod in illis materiis, ex quo totum negotium reuerendissimis Dominis meis quatuor Dominis Cardinalibus diffinire erat concessum, nihil volui temerè aut aliter affirmare, sed tantum opinabiliter obiicere, ac etiam res-

pondere,& æquas rationes adducere, non solùm diffinitionem, sed etiam affirmationem quamcunque ab eisdem Dominis meis reuerendissimis atque doctissimis expectando.

Contra articulum seu conclusionem, *quòd Christus*, obiicitur per illud Psalm. XXXIX. *Ego verò mendicus sum & pauper*, quòd in persona Christi liberaliter dictum asseritur : quoniam glossa Magistri sententiarum super illo verbo hoc dicit, cuius ista sunt verba ; *Ego verò mendicus sum & pauper, hoc dicit Christus de se ex forma serui, nequis gloriam prædictæ lætitiæ sibi arroget. Illi ita dicant; Ego autem, cui dicebant, Euge, euge: de me hoc dico scilicet, quòd pauper sum seruus; quòd homo mendicus est qui ab alio petit, & pauper qui sibi non sufficit: sed Dominus sollicitus est mei, id est, curam habet mei: vel ita, Ego autem, vt de membris agatur, quasi dicat; Hoc dicant de te, Semper magnificetur Dominus*, &c. *De se autem hoc dicant, Ego autem sum mendicus & pauper, id est, non est quod in me laudetur: ex me egenus sum & pauper, vt publicanus qui non audebat oculos ad cælum leuare, cum quo dico, propitius esto mihi*

187
mihi peccatori: Non ſum diues, quia non ſuperbus, vt Phariſæus, qui dicebat, non ſum ſicut cæteri hominum, ſed Dominus ſollicitus eſt mei. Adiutor meus, &c. *Hic orat totum corpus Chriſti, vnus mendicus cum Chriſto, & vnus pauper*; hæc gloſſa, vbi Magiſter ſententiarum, qui hanc gloſſam dicitur edidiſſe, affirmare videtur hoc dictum eſſe de Chriſto. Sed non videtur hoc dictum eſſe de Chriſto; & non videtur hoc dictum eius veritatem habere: ſed potius. Dauid liberaliter illud dixerit de Eccleſia pro ſe & membris ipſius à Deo remedium expectare ſuper eius miſeriis, ſicut ipſius Pſalmi verba prætendunt. Non etiam Chriſtus Chriſtum taliter expectauit, vt diceret; *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi: exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis*. Alia litera habet, *& de luto limi*, quam B. Auguſtinus ſuper illo loco exponit hoc modo; *Quid eſt lacus miſeriæ? profunditas iniquitatis ex carnalibus concupiſcentiis: hoc eſt enim & de luto limi vnde te eduxit de profundo quodam*. Hæc Auguſtinus. Ex quibus apparet, quod Chriſtus ibi de ſe non loquitur, cùm Chriſtus omni iniquitate caruerit. Ne

Magister in hoc dicto vti videtur recta grammatica, dicendo, quòd pauper est qui sibi non sufficit · cùm pauper dicatur quasi paruus, eò quòd parum potest, aut parum parat quoad diuitias huius mundi, qualis erat Tobias, qui dixit, *Fili, pauperem quidem vitam gerimus.* Tob. IV. Et tamen sibi suffecit, vt vixerit honestè. Potest enim secundùm grammaticam paupertas esse honesta, licet egestas semper sit turpis, vnde non grammaticaliter pauperis nomen exposuit, siue descripsit. Item si intelligerentur de Christo, non de mendicitate corporalis cibi, sed de mendicitate spiritualis alimenti, scilicet, lætitiæ consolantis, qua indiguit, & qualem fratres sui habebant, de quibus immediatè præmisit; *Exultent & lætentur super te omnes quærentes te, & dicant semper, magnificetur Dominus, &c.* deberent intelligi: quia in protectione illius pro mendicitatis remedio confidebat, adiiciens, *Adiutor, & protector meus tu es, Deus meus ne tardaueris.* Protectio enim ab insultantibus affert lætitiam, quamuis non expellat esuriem. Item alia translatio habet loco mendici egenum, quam literam exponit B. Augustinus

hoc modo; *Ego autem, cui, scilicet, dicebant, euge euge, egenus & pauper sum, non est quod in me laudetur; discindat ille saccum meum, & cooperiat me stola sua: viuo ergo iam non ego, viuit verò in me Christus. Si viuit in te Christus, & totum quod boni habes Christi est, totum quod habebis Christi est. Tu per te ipsum quid es? Ego egenus & pauper. Ego autem non diues, quia non sum superbus. Diues erat ille qui dicebat; Gratias tibi ago, Domine, quia non sum sicut cæteri homines, velut etiam hic publicanus: Publicanus autem erat pauper qui dicebat, Domine, propitius esto mihi peccatori.* Hæc Augustinus. Videte, an ista Christo conueniant. Et cum dicat egenum, illud exponendo, non sum diues, scilicet, pro inope, siue indigente, non arctam mendicitatem ac egestatem, sed inopiam vel indigentiam, quæ tanquam synonima accipiuntur sæpiùs in scripturis, & in dictis sanctorum, vt infrà versus finem dicetur, Christo ascribere. Item glossator, qui sub disiunctione illud exponit de Christo aut eius Ecclesia, versiculum immediatè sequentem ad Christum aptare

non poteſt, ſcilicet, *Adiutor meus, & protector meus tu es, Deus meus ne tardaueris*, de ſola Eccleſia illum verſum exponit, cùm tamen appareat, quòd de eodem debeat exponi, cùm præcedens verſiculus querelam contineat, & ſequens poſtulationem ſeu expreſſionem remedij ſuper miſeria intimata: vnde videtur quòd non poteſt aptè de Chriſto intelligi, ſed de illo, de quo ſuam miſeriam exprimente & remedium poſtulante ibi præmittitur, *quoniã circumdederũt me mala, quorum non eſt numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem, multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me. Complaceat tibi, Domine, vt eruas me, Domine ad adiuuandum me reſpice.* Et videtur vna ſententia repetita, *Ego verò mendicus ſum & pauper*, &c. quoniam in eadem perſona continuari videtur ſententia vſque in finem: quæ priora Chriſto innocenti conuenire non potuerunt, qui nec iniquitates habebat, nec viſu carebat, nec cor geſſit eum deſerens portitorem, quæ omnia ſanctæ matri Eccleſiæ pro ſe, aut pro ſuis membris conueniunt: & ſic ſuper illo loco Auguſtinus exponit vt dixi. Item eſto quod illud eſſet dictum de

Christi persona, adhuc non ex illo consequitur, quòd sit dictum pro eius persona, cùm sæpè scriptura loquitur, & *eius*, pro *suis*, sicut lille idem glossator exponit in multis Psalmis similibus, & B. Augustinus exponit illud Psalmi cviij. *Mendicum & compũctum corde mortificare* : sic dicens, *planè conpunctum corde*, *sed in membris suis*, cui dicto præmittit; *mendicum autem quomodo intelligam? nisi fortè quia dixit Samaritanæ, Da mihi bibere: Et in cruce ait, Sitio. Sed quid sequitur, quomodo accipiatur in ipso capite nostro, id est, sui corporis saluatore, quem Iudas persequutus est, non inuenio.* Vnde post pauca; *Persequutus est hominem inopem & mendicum, sed in membris suis.* Sicque B. Augustinus nesciens inuenire quando Christus mendicauit, quia fortè ab istis fratribus non erat edoctus, id de Christo pro suis membris exponit, sicut ipse loquitur, dicendo, *Qui vos audit me audit: & qui vos spernit me spernit*, Lucæ x. Et ibi; *Saule, Saule, quid me persequeris?* Act. ix. Et Matt. xxv. describens fomam finaliis iudicij, *Esuriui, & non dedistis mihi manducare*, &c. Et sequitur, *Quandiu vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Ex quo etiam dicto videtur quod nunquam eleemosynas

mendicando accepit: quoniam tunc vt veriſimiliter poterit æſtimari, nullatenus tacuiſſet in reddendo mercedē, quin potiùs expreſſiſſet, *mihi, in perſona mea, & meis minimis ſic feciſtis*: quod quia nō fecit, veriſimile videtur quòd eleemoſynas mēdicādo à nullo accepit. Itē cū in alio Pſalmo dicitur; *Adiuuit pauperem de inopia*, pro eodem pauperē & inopē ſynonimè quaſi accipiens, quia ſunt propinqua in ſenſu, cur non poſſit hîc accipi mendicus pro paupere inope aut egeno, non video. Item, cùm iſte gloſſator, ſcilicet Magiſter ſententiarum illud exponat de Chriſto, & alter de ſuis membris, nemo poteſt concludere quod alteram expoſitionem affirmat: vnde in iſto pro corporali mendicitate Chriſti nullus color eſt, ſerie Pſalmi attentè diſcuſſa, cùm litera manifeſtè alium ſenſum prætendat, nec aliquis ſanctus doctor, quem vidi, ita exponat, ſed aliter, nec gloſſa, vt conſtat, illam expoſitionem affirmat, ſententiam adiiciens. Item, etſi probari poſſet ex iſto, hoc dicto, aut aliis, quod Dominus noſter Ieſus indigentiæ naturalis impulſu aliquotiens mendicauit, non ex eo poterit mendicitas ſiue mendicatio approbari: nec infirmatur concluſio negatiua, ſcilicet, quod

Christus nunquam spontaneè mendicauit. Illud etiam quod in Psalmo cviii. de Domino dictum videtur, præmisso de Iuda proditore secundùm expositionem Petri Apostoli Act. i. *Fiant dies eius pauci, & Episcopatum eius accipiat alter, & consequenter pro eo quod non est recordatus facere misericordiam, & persequutus est hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare.* Sic accipiendo videtur, quod mendicus ponitur pro egeno seu inope, quod statim subiungitur, *Libera me, quia egenus & pauper ego sum, & cor meum conturbatum est contra me*, vbi videtur eadem sententia repetita. Item, mihi videtur illud debere intelligi de spirituali mendicitate, & mendico consilij, quoniam super mendicitate & paupertate spiritualis cibarij petit remediū, non super aliqua corporali; quoniā primò narratur causa mēdicitatis in Psalmi principio isto modo, *Locuti sunt aduersùm me lingua dolosa, & sermonibus odij circundederunt me, & expugnauerunt me gratis: pro eo vt me diligerēt detrahebāt mihi, ego autē orabā. Et posuerūt aduersū me mala pro bonis, & odiū pro dilectione mea. Sic recapitulauit consequēter cū dicit; Hoc opus eorum qui detrahūt mihi apud Dominū, & qui-*

loquuntur mala aduersus animam meam. Et contra has causas petit remedium isto modo; *Et tu Domine fac mecum propter nomen tuum, quia suauis est misericordia tua: libera me quia egenus & pauper sum ego &c.* vbi egenum nominat, & non mendicum: & de indigentia corporalis cibi nulla fit mentio, vt etiam in gratiarum actione pro liberatione accepta cùm in fine subjungit; *Confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum, qui astitit à dextris pauperis, vt saluam faceret à persequentibus animam meam.* Vbi de sola liberatione à persequentibus animam suam gratias agere Deo promittit. Sed quod omnino videtur illa mendicitas de spirituali alimento debere intelligi. Item obiicitur, quod Christus à Samaritana muliere mendicando bibere postulabat, cùm dicit, *da mihi bibere*, vt legitur Ioan. IV. Et ad hoc taliter respondetur, quod aliud est simpliciter petere, aliud mendicare. Potest enim aptè intelligi quod illud non egit, vt tãquam eleemosynam mulieris aquam acciperet, sed vt quadam sermocinatione seriosa & vtili mulierem ad fidem adduceret, vnde B. Augustinus super illo verbo quod sequitur, *Respondit Iesus, & dixit ei,*

Si scires donum Dei, & quis est qui dixit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam viu, Dicit hoc modo; *Hinc autem ostendit non se talem aquam petiisse, qualem ipsa intellexerat. Sed quia ipse sitiebat fidem eius, eidem sitienti spiritum sanctum dare cupiebat. Hanc enim rectè intelligimus aquam viuam, quod est donum Dei, sicut ipse ait; Si scires donum Dei.* Et ibi præmittit; *Ille autem qui bibere quærebat, fidè ipsius mulieris sitiebat.* Et Chrysostomus ibi sic dicit; *Sed qualiter Christus quæsiuit ab ea bibere lege non concedente? Si autem quis dixerit, quia ore sciebat eam nō datur ā, imò propter hoc neq; petere oportebat. Et igitur dicēdum, quod ideò petiit, quia indifferens erat de reliquo tales obseruātias præterire.* Hæc ille. Vbi iste sanctus affirmare videtur, quod sciebat eam non daturam: & hoc constat ex litera suprataċta, & ex mulieris responsione; *Dixit ei mulier, Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est.* Vnde Christus superuacuè mēdicasset nihil ab ea recepturus: nec decuit quod Christus ieiunus bibisset hora quasi sexta *præsentibus* absentibus discipulis eius, qui vt emerent cibos ierant in ciuitatem cibaria in proximo allaturi. Item se-

cundum iſtum ſanctum Ieſus petebat bibere, vt oſtenderet ſe non curare vlterius tales obſeruãtias præterire: & addit Chryſoſtomus; *Admirabantur quidem ſuperabundantem Chriſti manſuetudinẽ & humilitatem: quoniã ita perſpicuus exiſtens ſuſtinuit loqui cum tãta humilitate mulieri inopi & Samaritanæ.* Ipſa etiam vocauit eum Dominũ dicens, *Domine, neque in quo haurias habes*; Si ergo mendicaſſe dicatur, dicendi ſunt contra grammaticam Domini Imperatores, Reges ac Principes mendicare potius potum quàm cibũ, vt videtur ex textu. Cùm conſequenter dicatur diſcipulis cum cibis emptis reuerſis: *Interea rogabant eum diſcipuli dicentes, Rabbi manduca. Ille autem dixit eis, Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. Dicebant ergo diſcipuli ad inuicem, Nunquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Ieſus, Meus cibus eſt, vt faciam voluntatẽ eius qui miſit me, vt perficiam opus eius*. Sicut legitur reſpõdiſſe matri ſuæ, & Ioſeph; *An neſciebatis quia in his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe?* Luc. cap. II. Sicut enim opus patris ſui erat cibus ſibi, ſic æqualiter erat potus, vnde non amplius videtur eguiſse potu quàm cibo, quo tunc iuxta hæc dicta non

eguit, ſicut non eguit quadraginta diebus ſuæ tentationis à diabolo, *ſed poſtea eſuriit*, iuxta Euangeliũ Matth. cap. IV. Vnde ex ſerie literæ, & ſententia concordi ſanctorum iſtorum ſatis apparet, quod Chriſtus ab illa muliere Samaritana mendicando, bibere non petiuit, ſicut non mendicando dixit Zachæo: *Zachæe feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere*: Luc cap. XIX. Cùm verbum, *oportet*, ſenſu mendicationis non habeat, nec verba, *feſtinans deſcende*, id ſuſtineant: nec Zachæus mendicantem Dominum appellaſset, vt ſequitur: *Stans autem Zachæus dixit ad Dominum* (vt ſecundùm aliam lectionem) *ad Ieſum, Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus*: Nec dubium quin Zachæus tam ſanctus effectus Chriſto, aut ſuis diſcipulis, ſi erant mendicantes ab eo, illud bonorum ſuorum dimidium eis potius quàm aliis egenis dediſset: ſed id eum feciſse, non ſuſtinent verba ſequentia: *Ait Ieſus ad eum, quia hodie ſalus huic domui facta eſt.* Cùm enim Dominus tunc præſtitit ei ſalutem, ſi temporalia tot & tanta ab eo ſumpſiſset, ſuo Euangelio offendiculum præbuiſset. Item qualiter credi

potest, quod tunc Christus mendicauit aliquid à Zachæo, ex quo ab eo nihil omnino petiuit, sed solum expressit, quod oportuit eum in eius domo illo die manere, quod verbum propter necessitatem salutis Zachæi & domus suæ, sicut sequens litera patenter ostendit, est dictum, *Quia hodie salus huic domui facta est.* Item, cùm Christus tunc reuerentiæ magnæ habitus erat in populo, *quod cùm viderent omnes, murmurabant dicentes, quòd ad hominem peccatorem diuertisset*, non potest esse verisimile quod ea temporaliter mendicabat, cùm omnes fuerint ad ipsum inuitandum promptissimi. Vnde illa verba propter potestatem diuinam dixisse videtur, aut ex potestate, quam habuit, sumendi carnalia ab his, quibus spiritualia seminabat, sicut pullo asinæ eadem potestate vsus fuisse videtur, de quo facto legitur Marci cap. xi. quoniam discipuli eius, qui ejus præcepto pullum soluebant; quibusdam dicentibus, quid facitis soluentes pullum? præcepto dixerunt illis, quia Domino necessarius est, & dimiserunt eis; quæ verba apertè prætendunt, quod auctoritate legitima illud egerunt: aliàs tamen hac potestate vti noluit, cùm in templo

193

existens, *circumspectis omnibus cùm iam vespertina esset hora exiuit in Bethaniam cum duodecim*, sicut legitur Mar. cap. XI. quia vidēs minus beneuolos ad sibi & suis necessaria ministrandum, voluit ad liberaliores, qui id gratanter agerent, declinare, vt offendiculum tolleret Euangelio resistendi. Nec obstat illud, quod Dominus ipse ait, Lucæ cap. IX. sibi dicenti, Magister sequar te quocunque ieris: vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet, cùm nihil ibi de mendicitate dicatur. Sunt enim plurimi in Ecclesia Dei Rectores, & Vicarij, qui non habent vbi caput reclinent in terra, & tamen non sunt mēdici, de decimis & oblationibus eis debitis à suis subditis vitam honestam agentes, à quibus subditis possent, his non sufficientibus, necessaria suæ vitæ exigere, quod Christus, si voluisset, potuerat, scilicet, summus sacerdōs secūdùm Melchisedech tunc existens, cui, tanquam sacerdoti, Abraham regressus de cæde regum decimas diuisit de omnibus, sicut dicit Apostolus ad Hebræos, cap. VIII. & dicitur originaliter Genes. cap. XIIII. Non solùm decimas, sed etiam cuncta sibi necessaria potuit à

populo, cui prædicabat exigere; vnde non propter carentiam proprij hospitij potest inferri, quod erat mendicus, sicut de istis non potest, imò apertè è contra: Cùm nemo sit vere mendicus qui sibi sufficientia liberè à sibi subditis vel subjectis potest exigere atque recipere. Ex hoc quod iste cupidus voluit sequi Christum tanquam summũ sacerdotem populo prædicantẽ, vt sequela sua tẽporaliter ditaretur, vt Chrysost. Beda, & Glossa exponunt, cõsequitur quòd Christus non erat mendicus, nec illi se ad eius sequelã taliter ingerenti mẽdicus apparuit. Itẽ ex quo Christus per triẽnium cum tamen fere dimidio solummodo prędicaturus assiduè remansit in terra per vicos & castella prædicans verbum Dei, nullibi notabilem moram agens, hæreditariam fortè domum non habens, nulli hereditatem talem volens dimittere, cur superuacuè proprium capitis reclinatorium, scilicet domum habuisset, ratio non sibi videtur: quoniam minus prouidè domum emisset non moraturus in ipsa, & exemplum cupiditatis nihilominus aliis reliquisset, cuius exemplo Apostoli sui edocti possessiones immobiles à conuersis oblatas vendi potius voluerunt, quia non

194

fuerant in illis moraturi. Item est valde mirabile de isto genere hominũ nouiter introducto, quod ipsi præ cæteris talia reclinatoria vbique, vbi possunt, ædificant, habent, & possident, de Christo propter perfectionem vitæ contrarium affirmantes; & nihilominus ipsis Christi se in perfectione asserunt sectatores, quia aut verbo sunt mendaces, aut opere: si enim rectè id docent, in contrario opere sunt mendaces; aut si rectè sic agunt, mendaciter & deceptoriè docent id è contrario faciendum: & nihilominùs sic agendo suã perfectionem impugnant de arctissima paupertate, quæ, vt mundus agnoscit, cum talibus Palatiis regalibus in eis stare nõ potest, sicut nec in aliis, vt illud Matt. cap. x. *Nolite possidere aurum, neque argẽtum, neque pecuniã in zonis vestris, nõ peram in via, neque duas tunicas, calceamenta, neque virgam; dignus est enim operarius cibo suo*, &c. Vbi Marcus cap. vi. repetit isto modo, *Et præcepit eis, nequid tollerẽt in via.* Et Lucas, *Nolite portare sacculum, neque perã, neque calceamẽta, & neminẽ per viã salutaueritis: in quamcunque domum intraueritis primùm dicite, Pax huic domui, &c. In eadem autem domo manete edentes & bibentes quæ apud eos sunt; dignus est enim operarius mer-*

cede sua. Lucæ cap. x. quod ad mendicitatem nō pertinet: quoniam ex quo Marcus repetit, *Et præcepit, ne quid tollerent in via, &c.* satis ostendit, quòd hoc præceptum non fuerat absolutum, sed tempore viæ tantum, & sic exponit Dominus Ioannes XXII. in libello, *Quoniam vir reprobet.* Item non fuit præceptum absolutum, sed tantum pro tempore viæ; quoniā Marcus dicit, *in via.* Et supponere debemus quòd Matthæus aliter non intellexit, ex quo vnam Christi doctrinam describūt. Non enim sequitur, talia non habeatis in via: Igitur, talia non habeatis alibi. Itē frustra præcepisset, quod talia non haberent in via, nisi talia habuissent, à quibus in via poterant abstinere, & per consequens, & plures tunicas, & aurum, & argentum, & alia eo modo pro via prohibita ad deferendum ipsi habebant, aut de suo poterant habere, & non ex hoc probantur mendici. Item cùm Matthæus pro causa prohibitionis, siue delationis in via, siue possessionis eorum, adiecit; *Dignus est enim operarius cibi suo*, apparet quòd prohibitio non fuerat absoluta, sèd tantùm quo ad dilationes talium rerum, quas alij, quibus euangelisare debeant, eis debuerhnt ministrare,

ministrare, quod non arguit eos fuisse mendicos, aut mendicare debere; sed potiùs ab aliis tales sumptus accipere; vnde Dominus Ioan. xxij. vbi suprà, affirmat iuxta dictum S. Augustini, quod tunc fuit eis data potestas exigendi vitæ necessaria ab his quibus prædicare debebant, vnde hac potestate præditi non fuerunt verè mendici neque egeni: Et si mercedem à non afferentibus petiuissent, dici non debuerant mendicare, cùm mendicare sit petere sibi dari gratiâ: *merces verò non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum*, vt dicit Apostolus ad Rom. iv. alioquin etiam Imperatores, Reges, & Principes, cùm exigunt debitum eis censum, mendicant, quod dicere est nimis absurdum. Illud verò Lucæ cap. xiv. in fine, *Omnis ex vobis qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, nihil pro mendicitate penitus operatur: Beda enim exponit istud, *Distat sanè inter renunciare omnibus, & relinquere omnia. Paucorum enim perfectorúmque est relinquere omnia, curas mundi postponere, solis desideriis æternis inhiare. Cunctorum autem fidelium est renunciare, omnibus, hoc est*

sic tenere quæ mundi sunt, vt tamen per ea non teneantur in mundo, habere rem temporalem in vsu, æternam in desiderio, sic terrena gerere, vt tamen tota mente ad cœlestia tendant. Hæc Beda, & est glossa ordinaria vbi affirmat, istam renunciationem esse in cunctis fidelibus, non tamen omnibus est acceptata mendicitas. Etsi quisquã dixerit; Igitur relinquere mendicitatem importat, & hæc potest nihil penitus retinere; hæc responsio est expressa, quoniam relinquere omnia est omnium temporalium curam obsequiis diuinis postponere, quod dicit glossa; *Relinquere est tantummodo perfectorum, qui omnia temporalia postponunt, & solis æternis inhiant.* Vnde intelligendum videtur iuxta sensum, æternis inhiare, scilicet, os cordis ad æterna semper habere apertum, quod perfectorum est: & multo amplioris perfectionis existit, quàm renunciare simpliciter, scilicet, quàm sic ea abiicere vt ad æterna mente intendere non obmittat, quia hoc efficit quisque iustus: nemo enim esset in via salutis, quin ita temporalibus cunctis renunciat, scilicet, vt Dei amorem præferat his rebus terrenis, hoc est, *sic*

tenere quæ mundi sunt, vt per ea non teneatur in mundo, iuxta verba Bedæ prætacta. Item illud Matth. cap. XIX. Luc XVIII. & Marci X. est sententia similis; Dictum iuueni, *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me*, non probat, nec arguit, quod Christus illi mendicare, seu mendicitatem consuluit: primò, quoniam sic probans, aut arguens petit principium, scilicet, supponit illud quod probare deberet: quoniàm si Christus non erat mendicus, acquiescendo Christi consilio ipsum sequendo, scilicet, eum imitando in vita, vt Sancti exponunt, ille iuuenis non debuit esse mendicus, sicut nec Christus tunc erat: Igitur ex venditione bonorum suorum, & datione pauperibus, & Christi sequela non potest inferri quod debuit esse mendicus, nisi supponendo quod Christus erat mendicus, sic quod in argumentatione ex isto Christi cõsilio petitur seu supponitur principium, quod probari debet, & sic probatio omnino est nulla. Item sicut nec Apostoli, nudi sed, vestiti honestè omnibus suis relictis sequuti sunt Christum, sic nec iste aliter sequi debebat, & sic Christus

actum turpem, opprobriosum, & scandalosum exercere publicè docuisset, quod nefas astruendum videtur? Qui autem habet competentem vestitum, non videtur verè mendicus, cùm pro cibo vestes vendere valeat, aut mutare. Et istud poterit confirmari, quoniam distributis suis bonis pauperibus donec pro vno solo sufficientia remaneret: illud remanens poterat iuuenis obseruato Christi consilio pro suis vsibus retinere, cùm esset pauper vt cæteri, immò videtur ad hoc de lege caritatis fuisse arctatus, quæ incipit à seipsa, & ipse exposuisset se ipsum vitæ discrimini, & fuisset sui ipsius forsitan homicida, si nullus alter sibi succurrere voluisset, & Deum tentasset, expectando miraculosum vitæ suæ succursum; dum humanum suffragium abfuisset, contra Scripturam dicentem, *Non tentabis Dominum Deum tuum*, Deuter. cap. VI. Et Christus diabolo illud allegauit, sicut legitur Matth. cap. IV. Item, cùm Christus tunc pauper erat, & pariter sui Apostoli & discipuli, iuuenis dando Christo, & suis discipulis omnia bona sua implesset Christi consilium, & nihilominus de eisdem bonis vixisset,

197

cum Christo à nullo tunc aliquid mendicando : sic enim de facto Lucas refert Euangelij sui cap. viij. scilicet, quòd Magdalena, Iohanna, & aliæ mulieres sequebantur Christum ministrantes ei de facultatibus suis : non ergo apparet ex Christi consilio quòd iuuenis ille deberet esse mendicus. Et ista sententia personâ Petri, & aliorum discipulorum Christi, qui in datione istius consilij præsentes erant clarissimè confirmatur, quoniam de ipsis scribitur Actuum cap. IV. *Neque enim quisquam egens erat inter illos : quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat.* Vbi apparet, quòd conuersi ad Christi sequelam, non dubium per Christi discipulos informati, vendiderunt omnia iuxta præfatum Christi consilium, & pretium totum Apostolis contulerunt, nullatenus officiendo seipsos mendicos, quoniam neque quisquam egens erat inter illos, vt scribitur. Ecce Christi consilium facto recenti Apostolorum expositum mendicitatem excludens. Item, Ex

quo iuuenis erat, cui datum fuerat Christi consiliũ, fuisse videtur robustus in corpore ad laborẽ; nullus autem talis est verè mendicus, sed fictus, cùm nullus talis sit verè egenus, cùm posset sibi sufficere ex labore. Non ergo propter Christi consilium vrgebatur esse mendicus: non enim mendicant aues cœli, acquirere sibi vitam suo volatu valentes: igitur nec homines sunt verè mendici qui labore possent sibi acquirere vitam, cum in hoc eos æquiparando scriptum pronunciet; *Homo ad laborẽ nascitur, & auis ad volatum*, Iob c. v. Quod autẽ affirmat Apostolus 2. ad Cor. c. VIII. *Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis*, nihil penitus pro mendicitatis actu aut habitu operatur iuxta sensum terminorum istorum: quoniam litera ipsa tollit hunc sensum, vt illius inopia vos diuites essetis, vbi pro egestate prætensa repetit ibi inopiam, scilicet, opibus denudatum esse, qualis Christus fuit, nunquam mendicus, vnde glossa ibi sic dicit; *Nota quod non ait, pauper factus est cùm diues fuisset, sed cùm diues esset: paupertatem enim assumpsit, & diuitias non amisit: intus diues, fo-*

ris pauper; latens Deus in diuitiis, apparens homo in paupertate: hæc glossa. Vbi glossa de paupere & paupertate exponit, non de vero egeno, siue mendico: vnde mirum est quod isti trahant ad suum votum scripturam taliter repugnantem, apertè adulterando verba scripturæ. Item esto quòd Dominus & Saluator aliquoties mendicabat, cùm id iuxta ostensa in propositione superius non nisi naturali naturę impulsu egisset, id in nullo operatur pro istorum fratrum mendicitate spontanea quam exercent ex voto, vt fingunt: quoniam ex hoc affirmari non poterit, quod mendicitas siue mendicatio prudenter & sanctè obseruanda posset assumi: quia pari ratione possemus astruere, quod esse in conuiuiis posset sanctè in talis ordinis professione assumi, Christum in actu huiusmodi imitando, aut quod ex equitare super pullū asinæ per medium ciuitatis maioris de regno, aut habere loculos, aut periculū mortis effugere, aut quadraginta dierum ieiunium obseruare, & actus quisque consimilis, quia Christus tales & consimiles pluries actus exercuit, sanctè posset ex professione obseruandus assumi, quod, vt puto, minùs prouidè esset dictū. Si quis verò cōtēderet,

Paulum Apoſtolum à Corinthiis, & Romanis mendicaſſe ſaltem collectas in ſanctos pauperes in Hieruſalem, debet attendere, quod Paulus auctoritate ſua ordinauit illas collectas, eas imponendo tanquam paſtor prouidus propter ſpiritualia illis impenſa, & quod inuitet honeſtiùs ad eas liberè faciendas, ſalubriter exhortando, cùm dicat; *Scio enim promptum animum veſtrũ*, &, *placuit autem eis*, &, *debitores ſunt eorum*: & immediatè ante illa verba: *Scitis enim gratiam Domini noſtri, &c.* II. ad Corinth. cap. VIII. præmittit: *Non quaſi imperans dico*, Gloſſa, *Sed hoc non dico imperans, ne ſitis tranſgreſſores*: nihil penitùs in hoc pro ſe aut pro aliis mendicando. Vnde de hoc ſcribit ad Corinthios iſto modo; *De collectis autem quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinaui Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite. Per vnam Sabbati, vnuſquiſque veſtrum apud ſe reponat, recondẽs quod ſibi placuerit, vt non, cùm venero, collectæ tunc fiant*, I. ad Corinth. cap. XVI. Attendant verba, *ſicut ordinaui, ita & vos facite, reponat, recondens*, & non fictè mendicitatem aſcribant Apoſtolo. Item Epiſt. II. cap. IX. ſic ſcribit eiſdem; *Nam de miniſterio quod fit in Sanctos ex abundanti eſt*

 129

mihi scribere vobis: Scio enim promptũ animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones. Vbi donationem huiusmodi collectarum in pauperes sanctos in Hierusalem ministerium eorum appellat, satis ostendens hoc facere quoquomodo ex ministerio tenebatur, quod ad Romanos scribit expressiùs isto modo; *Probauerunt autem Macedonia, & Achaia collectionem facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Hierusalem. Placuit eis, & debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles debent etiam in carnalibus ministrare illis*, ad Rom. cap. xv. vbi iterum nominat ministerium, & probat collationem dari debere, licet quantitatem non taxet, sed eam committit liberæ voluntati. Vnde II. ad Corinth. post verba præmissa superiùs sic adjunxit, *Necessarium ergo existimaui rogare fratres, vt praeueniant ad vos, & praeparent repromissam benedictionem hanc paratam esse sic quasi benedictionem, non quasi auaritiam. Hoc autem dico, qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit*

Deus. Sicut enim in lege ad fabricam tabernaculi singuli tenebantur offerre, vt legitur Exodi cap. xxxv. sed non nisi sicut illis placuerat: Ita etiam fuisse videtur de istis collectis sicut de prima prætacta, scilicet, quod fuerunt ab Apostolo ordinatæ: immo glossa ibi; expressè: *Præcipit Apostolus omnem plebem dominico die couenire ad Ecclesiam, & illuc deferre quod vnusquisque ad opus sanctorũ dare voluerit.* Non ergo mendicando Paulus Apostolus has collectas obtinuit, sed potiùs vt doctor gentiũ ordinando, atque etiam exhortãdo, nec est talis exhortatio ad eleemosynã cõferendam mendicatio appellanda. Adhuc contra præmissa videtur dictũ S. Bern. vt dicitur homelia super Lucam cap. II. *Cùm factus esset Iesus annorum duodecim, Quid dicam, Deus meus? An vt te per omnia nostræ confirmares paupertati, & omnes in te humanæ miseriæ calamitates susciperes, quasi vnus è turba pauperum stipem per ostia mendicabas?* Hæc Bernardus: pro cuius dicto, & aliorum dictis similibus potest probabiliter annotari, quod quadrupliciter sancti loquuntur, aliquando excitatiuè, aliquando expositiuè, aliquando assertiue, sed transcursiue, inad-

uertenter, & aliquando assertiuè, ac probatiuè seu diffinitiuè. Cùm verò quisque sanctus excitatiuè loquitur, scilicet ad deuotionem, seipsum aut alios excitando, non videtur in eius dicto veritas exigenda, sed tantùm vtilitas, dum tamen loquatur sine fidei impugnatione: quia non intendit quod dicitur discutere, siue asserere, sed ædificare, quale fuit hoc dictum sancti Bernardi, vt multis videtur, sicut in meditatione de compassione beatæ Mariæ Virginis gloriosæ dicit; *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis imbrem, donec seruo suo Dominus appareat*, non intendens verum esse quod tanta aqua egeret, aut oculis suis imbre, sed vt in se ipso lachrymas prouocaret, & alij attendentes deuotionem ipsius pariter prouocarentur ad lachrymas; sicut è contra *S. Iob aperuit os suum, & maledixit diei suo, & loquutus est; Pereat dies illa, in qua natus sum*, ostendendo vehementiam doloris sui: quoniam immediatè ibi præmittitur; *videbant enim dolorem esse vehementem*, Iob. cap. II. non aliquid affirmando. Vnde tale dictum sancti Bernardi, aut sancti alterius non habet auctoritatem,

quoniam neque asseritur, neque affirmatur ab ipso: & ob hoc ad aliquid probandum frustrà & ineptè adducitur. Item cùm aliquis doctor sanctus, vt quiuis expositor, aliquam scripturam exponit, expositionem non asserit nisi velit, sed asserit sensum, quem exprimit esse intellectum scribentis, aut illum sensum in eius dicto probabiliter posse intelligi, vnde expositio sola nunquam probari poterit esse assertio dicti expositi, aut etiam expositionis illius. Multi enim sicut Eustratius super Ethica Aristotelis, & Ægidius super librum Physicorum ipsius, dicta eius exponunt secũdùm sensum eius, quem exprimunt alium non reprobãdo, ibi præcipuè vbi quis duas expositiones seu plures adducit, vnde pro hoc eleganter loquitur Augustinus primo libro suo super Genesin ad literam; *Librum Geneseos multipliciter quantum potui enucleaui, protulique sententias de verbis ad exercitationem nostram obscurè positis, non aliquid vnum temerè affirmans cum præiudicio alterius expositionis fortasse melioris, vt pro modulo suo eligat quisque quod capere possit; vbi autem intelligere non potest, scripturæ Dei det honorem, sibi timorem.* Hæc ibi. Vnde ad probandum aliquid esse

verum, sola expositio sancti alicuius Doctoris videtur fragile argumentum; quamuis ipse catholicus, non quia expositor, veritatem scripturæ defendere teneatur: quia in exponendo, non pro defensione scripturæ, sed pro expressione intētionis scribentis intendit discutere veritatem: vnde dixi, quod glossa magistri super illo versiculo Psalmi; *Ego verò mendicus & pauper*; ex quo duas expositiones expressit, non debet glossæ, aut exponenti, tamquam eius auctoritas, seu ab eo assertum ascribi: & ob hoc ad probandum Christum fuisse mendicum non est satis solidè adductum. Item, cùm aliquis assertiuè, sed transcurrendo, seu inaduertendo, non illud discutere inibi intendendo, aliquid asserit aut affirmat, in hoc, si fortè errauerit, poterit excusari, eo quòd illud inquisitiuè, non assertiuè dixerit, sicut beatus Augustinus respondet Pelagio libro Retractationum suarum, quo ad hoc, quod dicit libro tertio de Libero arbitrio: *Quis peccat in eo quod nullo modo caueri potest?* quoniam de peccato originali non intendebat tunc loqui, & ponitur lib. II. Sententiarum dist. XXVIII. Non est fixa probatio, sed intellecta ex tali dicto concludēdo,

qualia videntur omnia aſſertiuè dicta à ſanctis de mendicitate, ſiue mendicatione Domini Saluatoris: quia nuſquam adhuc legi in ſcripturis alicuius antiquorum doctorum vbi ſuper ipſa quæſtione indagatio ſolida ſiue inquiſitio erat facta, ſed ſuper ſtatuum comparatione, quoad imperfectum & perfectum: & ſuper mendicitate quæſtiones, diſputationes, & declarationes ſunt recenter per mendicantium, ſed Palatia conſtruentium, non per verè mendicantium ordines introductæ. Item cùm aliquis doctor quantumcunque egregius inquirens veritatem ſuper quauis materia affirmando atque probando concluſionem aliquam aſſerit vel affirmat, cum reuerentia accipiendum eſt dictum eius, donec certis documentis conſtare poſſit illud eſſe contrarium veritati. Nec æſtimo cenſendum auctenticum, quia doctor aliquis eximius illud dicit, ſed quia ratione fulcitur. Vnde dicit beatus Auguſtinus in epiſtola XIV. ad Hieronymum, & ponitur in decreto diſtinctione IX. hoc modo; *Ego ſolis eis ſcripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honorémque deferre, vt*

nullum eorũ auctorem ſcribendo erraſſe firmiſsimè credam. Ac ſi aliquid in eis inuenero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quam vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſequutũ eſſe quod dictũ eſt, vel me minimè intellexiſſe non ambigã. Alios autem ita lego, vt quantalibet ſanctitate, doctrinaque præpolleant, nõ ideò verum puto, quia ipſi ita ſenſerunt: ſed quia mihi, vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerũt. Hoc ibi. Cui ſimile dicit beatus Auguſtinus lib. XI. contra Fauſtũ hoc modo; *De his enim libris dici poteſt aliquid eos habere non conſonum fortaſſe occultiori, & ad dignoſcendum difficiliori veritati: quod aut ſi remanſerit, aut in poſterioribus correctum ſit, qui non præcipiendi authoritate, ſed proficiendi exercitatione ſcribuntur à nobis. Inter hoc enim ſumus; quibus idem Apoſtolus dicit; Etſi quid aliter ſapitis, id quoque vobis Deus reuelabit. Quod genus literarum non cum credendi neceſsitate, ſed cum iudicandi libertate legendũ eſt. Cui tamẽ ne intercluderetur locus & adimeretur poſteris ad quæſtiones difficiles tractãdas atque verſandas linguæ ac ſtyli ſaluberrimus labor, diſtincta eſt à poſte-*

riorum libris, excellentia canonicæ authoritatis veteris & noui Testamenti, quæ Apostolorum confirmata temporibus per successiones Episcoporum, & propagationes Ecclesiarum, tanquam sede quadam sublimiter constituta est, cui seruiat omnis fidelis & pius intellectus. Ibi si quid velut absurdum mouerit, non licet dicere, Author huius libri non tenuit veritatem: sed aut codex mendosus est, aut interpres errauit, aut tu non intelligis. In opusculis autem posteriorum, quæ libris innumerabilibus continentur, sed nullo modo illi sacratissimæ canonicarum Scripturarum excellentiæ coæquantur, etiam in quibuscunque eorum inuenitur eadem veritas, longè tamen est impar authoritas. Itaque in eis, si qua fortè propterea dissonare putantur à vero, quia non vt dicta sunt intelliguntur, tamen liberũ ibi habet lector auditórve iudicium, quo vel approbet quod placuerit, vel improbet quod offenderit. Et ideò cuncta eiusmodi nisi vel certa ratione, vel ex illa canonica authoritate defendantur, vt demonstretur, siue omnino ita esse, siue fieri potuisse, quod vel disputatum ibi est, vel narratum: si cui displicuerit, aut credere noluerit, non reprehenditur. Item dicitur LXXXII. distinctione in principio & est de Concilio Carthaginensi hoc

ſi hoc modo; *Generaliter etiam pauperibus, & iis qui ſuis manibus laborare non poſſunt, Epiſcopus neceſſaria prouideat.* Vbi dicit gloſſa; *Pauper enim, qui laborare poteſt ſi ſe immiſceat eleemoſynæ Imperatoris, redigitur in ſeruitutem.* Et ſtatim ex Concilio Aurelianenſi immediatè ſequitur; *Epiſcopus pauperibus vel infirmis, qui debilitate faciente ſuis manibus laborare non poſſunt, victum & veſtimentum, in quantum ſibi poſſibile fuerit, largiatur.* Vbi gloſſa ſuper illa verba, *non poſſunt*, ſic dicit; *Ei qui poteſt, non debet Eccleſia prouidere.* Vt v. quæſt. v. c. *Non omnis.* Et dicit gloſſa ſuper Matthæum; *Siquidem iuſtiùs feceris, ſi iniuſtè petentem correxeris, quàm ſi ei dederis.* Ex quibus ſequi videtur, Si Chriſtus ſpontaneè mendicauit, robuſtus in corpore ad laborem, reddidiſſet ſponte ſeipſum legis executoribus, iuſtè quoad eos ſecundum legis exigentiam, puniendum & corripiendum, aut, vt gloſſa aſſerit, corrigendum, quod non videtur de Chriſto, quoad aliquem eius actum, dicendum. Item ex quo iuxta præmiſſa dicta ſanctorum doctorum, & gloſſas, ſæpè in ſacris Scripturis mendicus, inops, egenus, & pauper, propter propinquitatem in

ſenſu, ſynominè accipiuntur, ſic rationabiliter dici poteſt, quod ſancti doctores hæc omnia taliter acceperunt: & ſic ex nullo dicto alicuius ſancti Doctoris, aut gloſſæ dicentis Chriſtum fuiſſe mendicum, aut etiam mendicaſſe, ſiue egenum fuiſſe, aliquid amplius poteſt concludi, quàm quod Chriſtus erat inops, & pauper, aut indigens, niſi fortaſſe ex eius rationibus, & circunſtantiis ſui dicti expreſsè appareat, quod voluerit affirmare Chriſtum fuiſſe corporaliter verè mendicum, aut corporaliter eleemoſynam petiuiſſe, quod à S. Bernardo nō memini me legiſſe, qui ſic excitatiuè, non aſſertiuè loquutus fuiſse videtur. In quo dicto, ſi aſsertiuè loquutus fuiſset, iuxta dictum prædictum Auguſtini eo maioris, non eſt ſibi credendum, niſi quatenus dictũ ſuum aliquo documento authentico poterit cōfirmari, quod poſse fieri non mihi videtur. Si quis præmiſsa diligenter aduertat, videtur quod in dictis ſanctorum pauca aut nulla ſolida pro Chriſti ſeu alicuius alterius ſpontanea mendicitate reperiet. Item ſi Chriſtus ſpontaneè mendicaſset, alios ſic ſuo opere docuiſset. Cùm ergo multum grauis ſollicitudo ſit mendicitati annexa, ſicut

probari poterit clara luce per decem millia militum depignota, consequitur, quod Christus ad conditionem & statum sollicitudinis suis actibus incitauit contra suam propriam doctrinā; *Nolite solliciti esse animæ vestræ, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* Mat. cap. VI. Super qua materia loquitur pulchrè Chrysostomus super cap. VI. ad Hebræos in vltimo morali; *Oportet ergo*, &c. sic dicens; *Non cogitas quanta sit ventris necessitas? Non propter ipsum facis omnia? Non propterea negligis spiritualia? Non propositum est cælum & regnum cælorum? Tu autem illius timens tyrannidem omnia sustines, & illum non despicis; hæc est impudentia.* Item sequitur, quod Christus suo facto docuit homines, se ipsos in tentationem ducere, contra doctrinam suam in oratione Dominica: vnde Chrysostomus dicit super capite III. ad Hebræos in illo morali: *Ne ergo turbemur,* &c. hoc modo: *Deum ergo oremus, ne intremus in tentationem: Sin autem intrauerimus, eas forti animo feramus. Nam illud quidem est virorum sapientum & moderatorum se in pericula non temere eiicere. Hoc autem fortium &*

Philoſophorum. Neque ergo nos temerè proÿciamus; eſt enim audaciæ & temeritatis. Neque ſi ducamur, nos rebus vocantibus cedamus: eſt enim timiditatis. Sed ſi vocet quidem prædicatio, non recuſemus. Et paulò poſt; *Ne prouoces tentationes ſi ex voto tibi procedat pietas. Cur ſuperuacanea attrahis pericula, quæ lucri nihil afferunt? Hæc dico, volens vos ſeruare leges Chriſti, qui iubet orare ne intretis in tentationem, & iubet accepta cruce eum ſequi. Hæc quidem non ſunt contraria, ſed valde congruunt ac conueniunt. Nam tu quidem rùm tamquam miles fortis te pararis & inſtruxeris, eſto aſsiduè in armis, ſobrius, vigilans, hoſtem ſemper expectans: bella autem non prouoces. Hoc enim non eſt militis, ſed ſeditioſi.* Hæc ibi. Item ſi mendicare ad perfectionem vitæ pertineat, tunc, vt videtur, expedit, vt fratres ſubſtractis eleemoſynis magis egeant, vt magis perfecti ſint, ſaltē quandiu habent veſtes, ornamenta Eccleſiæ, pannos aureos, & calices, libros, nūmos, Eccleſias ſūptuoſas, Palatia regia, & loca habitationis, aut hortos, quæ vendere liberè poſsunt, ſi velint. Sic enim quidam doctor in Theologia cuidam fratri mendicanti, ſed bene veſtito, re-

ſpondit ; *Abſit vt tuam perfectionem imminuam, quam in paupertate arctiſsima affirmas conſiſtere.* Itē iuxta grammaticam egeſtas in hoc differt à paupertate, quod paupertas poteſt eſse honeſta, ſed egeſtas ſemper eſt turpis. Et conſtat quod omnis mendicitas eſt egeſtas: ergò mendicitas ſēper eſt turpis: vnde dicit Chryſoſt. ſuper cap. VI. ad Hebr. in vltimo morali, *Oportet ergo*, vt ſuprà ; *Quid eſt turpius & magis indecorum quàm mendicare? Satius eſt mori quàm mendicare.* Si ergo Chriſtus aliquotiens mendicauit, Chriſtus aliquando exercuit actū turpem, quod non videtur à Chriſtianis dicēdum, quamuis paſſionem ſibi turpem ingeſtam ſponte tolerauit ſiue ſuſtinuit. Item Chriſtus docuit omnia debere eſſe communia, ſuadendo vt nullus poſſideret ſuperflua, iuxta illud Lucæ cap. XI. *Quod ſupereſt date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Et illud Matth cap. VI. *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra.* Et illud Lucæ cap. XVI. *Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis.* Et ita quantùm congruè fieri debuit, voluit, & opere laborauit reducere noſtram naturam ad ſtatum ſuæ inſtitutionis primariæ, in quo nunquam aliquis men-

dicasset. Nunquam ergo elegit sponta-neè mendicare: quoniam sic doctrina & opere contraria docuisset, quod non congruit affirmare. Item mendicitas est tollerabilis, & de numero tollerabilium iuxta illud Iacobi cap. v. *Beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis: quoniam Dominus misericors est & miserator.* Non est ergo de genere amabilium propter se, sed potius de genere odibilium: pulchrè enim de hoc dicit B. Augustinus, lib. x. Confessionum suarum cap. xxviii. *Nunquid non tẽtatio est vita humana super terram? Quis velit molestias & difficultates pati? Tolerare iubes eas, non amare. Nemo quod tolerat amat, etsi tolerare amet. Quamuis enim se gaudeat tolerare, mauult tamen non esse quod toleret.* Hæc Augustinus. At è contra quidquid spontè & prudenter eligitur, propter se est eligenti amabile. Nunquam ergo Christus spontè mendicitatem elegit, & per consequens nunquam mendicitatem spõtè exercuit. Item cùm Christus loculos habuit, & pecuniam, qua egenis poterat subuenire iuxta illud Ioannis cap. xiii. *Et post bucellam tunc intrauit in illum Satanas: & dixit illi Iesus; quod fa-*

 206

cis faccitius. Hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus; Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis vt aliquid daret: Christus doctrinæ suæ suis operibus fuisset contrarius, si dicto aut facto alios mendicare docuisset. Itē fratres imponentes sanctis successoribus Apostolorum & discipulorum Christi, qui in abundantia temporalia bona habebant, saltem suo arbitrio dispensanda, scilicet Gregorio, Ambrosio, Augustino, Basilio, Chrysostomo, Bern. & cæteris, quod ipsi talē mendicitatē spontaneam, aut mendicationem Christo, tanquam aliquid ad statum perfectionis Euangelicæ pertinens, ascripserunt, ipsos de sua doctrina redarguunt, & eos affirmant hypocritas, veluti Pharisæos, & etiam negligentes, vt videtur, aut inuidos in docendo, ex quo ipsi talem mendicitatem aut mendicationem nec opere tenuerunt, nec obseruandam ab aliis in suis literis suaserunt: legant quæso si sciant vbi eorum aliquis spontè se asserit mendicasse, aut alteri mendicare suasit, nisi fortè sanctum Augustinum obtendant, qui in toto libro suo de opere Mona-

chorum conatur affirmare contrarium. Item cùm non possint conuinci Christum exercuisse actum huiusmodi nisi ex scripturis Canonicis, aut irrefragabili ratione, quod nullus doctorum, cuius dicta adducunt in istis per illos adductis, aut alibi in suis scriptis, inuenitur egisse. Sed Augustinus in libro prætacto egit contrarium, non tantum videtur temerarium, sed nimium verecundum, quod Christus talem actum exercuit, talia nuda dicta literis Canonicis non vestita pro probatione adducere: cùm ad conclusionem contrariam sint tot rationes, & tot testimonia scripturæ, quibus testimoniis solis, non dictis simplicibus siue nudis secundum dicta B. Augustini tacta superius, & incorporata in decretis Ecclesiæ, sit fides à prudentibus adhibenda. Et si quis dixerit, quód quia mendicare erubescentiam naturalem habet annexam, quæ est passio ad tolerandum difficilis, magni meriti atque humilitatis extremæ esse videtur: & ob hoc conetur inferre, quod à Christo potuit & debuit exerceri propter humilitatis exemplum, & ab aliis per consequens sponte prudenter & sanctè obseruanda assumi.

 207
E contra etiam videntur, quod ratione cõsimili affirmari poterit improbè à maiori, quod Christus nudus incessit, vt quondam Gymnosophistæ: quod Christus seipsum vsque ad effusionem sanguinis quotidiè se flagellat, vt quædam secta conficta atque peruersa, non est diu, exercuit: quod Christus lanceolis aut cultris more sacerdotum Bahal, vt legitur IV. Reg. cap. XVIII. seipsũ incidit: quod Christus propter castitatem seruandam seipsum castrauit: quod Christus oculos sibi eruit, aut alia eius membra præscidit, vt Marcus legitur minùs prudenter egisse: Item quod multa alia egit innaturalia istis similia. Cùm ista sint difficilioris tolerantiæ, quàm spontaneè mendicare, & humilitatem maiorem quoad opus ostẽdant. Et quod fratres consequenter possent sibi sanctè & prudenter assumere perpetuò obseruanda, quod nefas est dicere, cùm nihil prohibitũ aut dissuasum à sacris literis, qualia hæc existunt, ab aliquo poterit prudenter & sanctè assumi spontaneè obseruandum. Quæ verò à sacris literis non sunt aliqualiter reprobata, aut sunt approbata, præcepta, siue concessa, poterunt sanctè obseruanda in casu assumi. Si verò quis dixerit, quod mendicitatem spontaneè ob-

seruantes sunt ab Ecclesia approbati; & in sanctorum catalogo numerati, sicut S. Alexius, & S. Franciscus, ex hoc volens inferre, quod eorum mendicitas fuit sancta, & ad vitæ perfectionem pertinuit: inferat simili ratione quod ditatio ad vitæ perfectionem pertinuit, quia sancta mater Ecclesia iustè & sanctè Reges plures & diuites approbauit, & quod quicquid in vita egerunt illi mendici siue bonum, siue malum, propter ipsarum personarum canonizationem, ab Ecclesia approbatur, quod quia nō possunt de istis, de mendicitate minus solidè inferre conantur. Item esto, quod Franciscus, & Alexius homines laici & indocti excusabiles saltem à peccato mortali super ignorātia scripturarum reprobantium mendicitatem spontaneam, quia mendicantes siue mendicos propter Dei amòrem se spontè fecerunt, fuerunt ab Ecclesia approbati. In hoc debent intelligi approbati, propter meritum, quod, in sic volendo dura sustinere propter Deum, habebant, non propter improuidam voluntatem mentiendi: iuxta Apostolum ad Romanos ca. x. *Testimonium enim perhibeo illis, quod æmulationē Dei habent, sed non secundùm scientiam.* Sicut obstetrices Ægyptiorum, & Raab me-

retrix approbatæ & remuneratæ erant à Deo propter piam voluntatem qua pueros & nuncios Domini saluare volebant, non propter improuidam voluntatem mentiẽdi,seu propter mendacia quæ dixerunt. Et sicut Marcus Euangelista, iuxta prætacta, duas habuit voluntates;vnam reprehensibilem,qua voluit sibi policem præscindere; & aliam Deo gratam,qua propter Dei dilectionem voluit Deo placere:quas voluntates si quis distinctè attendat, mendicitatẽ spontaneam propter canonizationem seu approbationem personæ mendicantis esse meritoriam,non concludet. Hæc præmissa, & ea,quæ hîc iam & etiam in propositione de mendicitate adhibui,eo fine expressi,vt nec clerus,nec populus decipiatur, vlteriùs æstimando hos fratres imitari Christum, vt ipsi confingunt,in mendicatione spontanea,quam Christus nunquam exercuit. Item ad alium finem,scilicet, vt per diffinitiuam sententiam reuerendissimorum meorum Dominorum Cardinalium, quibus totum negotium est commissum, mẽdicitate huiusmodi reprobata,si eis placuerit,tanta priuilegia procurata à fratribus, & eis concessa ipsius mendicitatis spontaneæ sanctitate circũuentiuè prætẽsa,reuocentur

atque cassentur. Et ipsi fratres ad sanctum statum suæ institutionis reuocentur, quod nobiscum gratiam in præsenti, & gloriam in futuro præstare dignetur Omnipotens, Trinus, & Vnus, qui est benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

IN nomine Domini Amen; Anno natiuitatis eiusdem millesimo tercentesimo quinquagesimo septimo indictione decima die Martis decima quarta mensis Nouembris Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Innocentij Papæ VI. anno quinto, in præsentia nostrûm, notariorum, & testium, ac partium subscriptarum, Reuerendi Patres & Domini Guillermus Episcopus Tusculanus, Petrus S. Martini in Montibus, & Helias S. Stephani in Cælio monte titulorum presbyteri Cardinales in palatio Apostolico, in loco videlicet, vbi Consistorium fieri consuetum est, de mandato pro tribunali sedentes, dixerunt, quod die Mercurij proximè transacta, scilicet, octaua dicti mensis Nouembris, per Reuerẽdum Patrem Dominum Richardum Archiepiscopum Armachanum Hyberniæ Primatem, nonnul-

lis propositis in publico Consistorio coram præfato Domino nostro Papa & sacro Collegio Reuerendorum Patrum & Dominorum, Dominorum Cardinalium, contra fratrem Ioannem de Ardene Priorem fratrum ordinis Heremitarum S. Augustini Londoniensium, & Priorem fratrum Carmelitarum, ordinum mendicantium Londoniensium se procuratorem prætendentem, & contra alios religiosos mendicantes vbique constitutos, & huiusmodi propositis diligenter intellectis per præfatum Dominum Papam, & Dominos Cardinales; idem Dominus Papa hodie in camera sua existens causas ipsas motas & mouendas inter dictas partes eis ac Reuerẽdo Patri & Domino Domino Francisco tituli S. Marci Presbytero Cardinali, tunc absenti, vel tribus ex eis viuæ vocis oraculo commisit, iuxta & secundum tenorem cuiusdam Cedulæ nobis notariis per ipsos Reuerendos Patres Dominos Cardinales traditæ, & paulò ante coram eis, & de mandato eorum, præsentibus dictis partibus, videlicet, eodem Domino Richardo Archiepiscopo pro se & sibi adhærentibus, & sibi adhærere volentibus, & fratre Guillelmo Militis ordinis Prædicatorum sacræ Theologiæ

profeſſore prioris & fratrum Prædicatorũ, fratre Iacobo de Montepolitiano Ordinis Minorum Gardiani & Fratrum Minorum, Fratre Bernardo de Cathalonia Ordinis Heremitarum S. Auguſtini prioris & Fratrum Heremitarum S. Auguſtini, ac fratre Aluardo Tenbre Ordinis Carmelitarum Prioris, & fratrum Carmelitarum Mendicantium Londonienſium, vt dicunt, procuratoribus, & etiam procuratores dictorum ordinum Mendicantium ſe eſſe dicentibus, intelligibiliter & alta voce de verbo ad verbum lectæ, & etiam ſimili modo eiſdem Dominis Cardinalibus cõmiſit omnem poteſtatem, quam ipſe Dominus Papa habebat, in ſupradicto negotio, cuius cedulæ tenor inferiùs deſcribetur, committentes & mandantes nobis Carlino, & Petro Notariis publicis infraſcriptis quatenus commiſſionem huiuſmodi, & omnia, quæ ſequẽtur ex ea, per nos, vel alium, ſeu alios, in actis ſcriberemus, & regiſtraremus, fideliter, cùm opus eſſet redigeremus in publica documenta, & partibus ipſis copiam cùm directa eſſet, traderemus. Tenor verò dictæ cedulæ talis eſt.

SIgnificat Sanctitati vestræ deuotus eiusdem Richardus Archiepiscopus Ardmachanus Hyberniæ Primas, quod quamuis de paupertate Domini Saluatoris, & mendicitate ac imperfectione status voluntariè mendicorum seu mendicantium, necnon de erroribus seu defectibus forum pœnitentialem, potestatem, seu indulta prætensa fratribus mendicantibus audiendi confessiones, corpora defunctorum in suis locis & cimiteriis sepeliendi, prædicandi, & alia exercendi, quæ in Clementina de sepulturis cap. *Dudum*, plenius describuntur, concessa, & concessiones huiusmodi eis factas, ac alia ibidem expressa tangentibus, cæteraque priuilegia eorundē cōcernētibus, veraciter prædicasset, ac populum Christianū catholicè docuisset, fueritque & sit Catholicæ fidei verus cultor, quidam tamē F. Ioannes de Ardene Prior fratrum ordinis Heremitatum S. Augustini Londoniensium, Prioris & fratrū Prędicatorum, Gardiani & fratrum Minorum, fratrum dicti Ordinis Heremitarum, S. Augustini, Prioris ac etiam fratrum Carmelitarum ordinum mendicantiū Londoniensium procuratorē se prętēdens, falsò asserēs

ipſumRichardum Archiepiſcopum in prę-miſſis erroneè publicè prædicaſſe ac dixiſſe contra canonicas ſanctiones à prædicatione huiuſmodi & doctrina,ac contra eas, & eum Reuerēdum Archiepiſcopum, ac ſedem Apoſtolicam,ſanctitatémque veſtrā, procuratoriis quibus ſupra nominibus, pro ſe & ſibi ac eis adhærentibus, ſicut dicit, appellauit, ſed friuolè, cuius appellationis prætenſæ tenorem habere dignemini ſpecialiter pro expreſſis, ipſúmque Richardum Archiepiſcopum quam plurimū & nequiter diffamauit,& iniuriatus eſt eidem temerè & defacto in dicti Archiepiſcopi,sāctę matris Eccleſiæ, fideique Catholicæ vituperium,præiudicium non modicum, atque magnum periculum animarum: vnde ſupplicat eidem Sanctitati veſtræ, quatenus cauſam, ſeu cauſas appellationis prædictæ & negotij principalis, ac negotiorum principalium,necnon iniuriarum & alias,quam ſeu quas pars dicti Richardi Archiepiſcopi, & ſibi adhærentium & adhærere volētium etiam in futurum contra partem dictorum procuratorum priorum gardiari, & fratrum ſeu conuentuum eorum, fautorúmque ſuorum, & eiſdem adhærentium ſeu adhærere volentium, & omnium quorum intereſt,

intereſt, ſeu intererit, etiam diuiſim, ſuper præmiſſis & eorum occaſione, mouere intendit, ac etiam omnes cauſas & ſingulas ſuper indebita & ſacrilegia apprehenſione, allectione fraudulenta, tonſuratione, & violenta detentione diuerſorum puerorum adoleſcentium, etiam ſine ipſorum parentum conſenſu attractorum, & infra annum probationis de dictis ordinibus recedere volentium, nec non etiam ſuper abuſionibus priuilegiorum eiſdem fratribus mendicantibus generaliter indultorum, & aliis grauaminibus per fratres dictorum quatuor ordinum mendicãtium vbilibet conſtitutos ſibi & ſuis adhærentibus ſeu adhærere volentibus diuerſimodè illatis, provt in materia propoſitionis ſuæ per eundem Richardum factæ coram Sãctitate veſtra contra fratres prædictos mẽdicantes pleniùs continetur, ac etiam omnes eas conſimiles dictos fratres & præfatæ propoſitionis materiam quouiſmodo concernentes, alicui ſeu aliquibus de reuerendis Patribus Dominis Cardinalibus committere dignemini audiendas ſimpliciter & de plano ſine ſtrepitu & figura iudicij, fineque debito terminandas, cum incidentibus, emergentibus, depen-

dentibus, & connexis, & cum poteſtate citandi prædictos in Curia, & extra eam, etiam ad partes, quotiens opus erit, & etiam cum poteſtate ſpeciali pronunciandi, decernendi,, & declarandi poteſtatem & indulta prætenta prædicta confeſſiones audiendi, & corpora defunctorum in ſuis locis & cimiteriis ſepeliendi, prædicandi, & prædicta alia exercendi, in periculum animarum eorundem fratrum, ac Ordinariorum, Curatorum, & Eccleſiarum parrochialium, Parrochianorum, cleri, & populi præiudicium, licet ſancta intentione ſummorum Pontificum emanaſſe ac ſeruari, & ea, nec non conſtitutionem, ac literas etiam Apoſtolicas ſuper his editas, ſi & quæcunque ſint, & quibuſcunque adiectionibus ſeu clauſulis munitæ exiſtant, quæ omnia dignemini habere ſufficienter & ſpecialiter ex certa ſcientia pro expreſſis, reuocandi, caſſandi, & annullandi fore, pronunciandi, & cum poteſtate etiam ante omnia interdicendi Prioribus, Gardiano, & fratribus omnibus & ſingulis dictorum quatuor Ordinum mendicantium vſum & exercitium priuilegiorum, & conſtitutionem quorumcunque, præmiſ-

ſa ſeu eorum aliqua concernentium, etiam dictæ Conſtitutionis Clementinæ, & inhibendi eiſdem Prioribus, Gardiano, Conuentibus, & fratribus, ne priuilegiis ſeu Conſtitutionibus huiuſmodi, facultate ſeu poteſtate aliqua ſibi conceſſa vtantur quouiſmodo, lite huiuſmodi indeciſa pendente, & interdictum & inhibitionem huiuſmodi in Curia & extra eam in ſingulis prouinciis & locis, vbi & quotiens expedire videbitur, publicandi, nec non conſtitutionem extrauagantem felicis recordationis Domini Ioannis Papę XXII. quę incipit, *Vas electionis*, declarandi, ſeu eandem, ſi eiſdem Dominis Cardinalibus expedire videbitur, tollendi, præmiſſis, & conſtitutionibus quibuſcunque, & cauſæ huiuſmodi non fuerint forſan ad Romanam Curiam legitimè deuolutæ, ſeu de ſui natura tractandæ vel finiendæ in ea, non obſtantibus, cùm cauſæ huiuſmodi de maioribus debeant reputari.

Sequitur Libellus, in hac causa per præfatum Dominum Archiepiscopum Ardmachanum contra præfatos Mendicantes iudicialiter oblatus.

Coram vobis Reuerendissimis in Christo Patribus ac Dominis proponit Procurator & procuratorio nomine Reuerendi in Christo Patris Domini Richardi Archiepiscopi Ardmachani Hyberniæ Primatis, pro ipsius, suorumque subditorum, ac suæ vniuersalis Ecclesiæ, salutisque publicæ animarum interesse, defensione, veneratione, commodo, & honore, ac pro omnibus & singulis, quos tangit ac tangere poterit communiter vel diuisim, & aliàs ad omnem effectum quo & parti & intentioni suæ melius prodesse poterit, cōtra Magistros, Vicarios, Custodes, Gardianos, Priores, Ministros, Conuentus, fratres, personas, & ordines Prædicatorum, Minorum, Augustiniensium, & Carmelitarum, & omnes alios & singulos quorum interest, & intererit, & quos tangit & tan-

gere poterit quomodolibet, & personas pro eis vel eorum aliquibus legitimè interuenientes,& diuisim.

Et dicit, quod licet prædicti ordines & eorum fratres,& insuper quibusdam iuribus,etiam ante ipsorum ordinum institutiones, & ad matrices Ecclesias & parrochiales,earum Prælatos, Curatos, Rectores,& Ministros de iure communi & institutionis Ecclesiasticæ spectantibus, & maximè super Confessionibus audiendis,pœnitentiis iniungendis, absolutionibus impendendis, sepulturis habendis seu eligendis, ac sermonibus & prædicationibus faciendis, & aliis prædictis officiis exercendis,etiam per concessiones,constitutiones, & priuilegia prætensa Romanorum & summorum Pontificum priuilegiati fuisse & esse dicantur, prout in concessionibus, constitutionibus, & priuilegiis huiusmodi, ad quorum continentias & tenores,quo ad hæc,se refert, dicitur contineri: Attamen Magistri,Vicarij,Gardiani,Custodes,Priores,Ministri, & alij fratres dictorum ordinum & locorũ ac Conuentuum eorũdem, suis terminis, concessionibus, constitutionibus, & priuilegiis non contenti, sed eis etiam notoriè abutendo, & matricibus &

catholicis Eccleſiis, etiam parrochialibus per vniuerſum orbem longè latéque conſtitutis, ac earum prælatis, rectoribus, curatis, & miniſtris, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis, tam ſecularibus quàm regularibus, graues & enormes iacturas inferendo, ac eas & eos vituperando & deprimendo, ipſiſque ac eorum tam verbo quàm facto in exaltationem propriam etiam publicè detrahendo, ac eorum iura vſurpando, & aliàs indebitè nequiter & temerè verſando, varios & innumeros abuſus, abuſiones & exceſſus in diuerſis locis commiſerunt, committere præſumpſerunt & præſumunt, & maximè de & ſuper inferiùs declarandis.

Dicit ſiquidem & proponit, quòd fratres Ordinum prædictorum, tã maiores, quàm minores, & cuiuſlibet eorum, à multis annis præteritis, & per ipſos annos & menſes ſingulos eorundem, in ſingulis ciuitatibus, dioceſibus, & parrochiis totius Chriſtianitatis, ad quos pro prædictis vel eorum aliquibus exercendis temporaliter habuerũt & habebant recurſum, dum & quotiens & provt caſus emerſerunt & emergebãt, exceſſerunt & excedebant, abuſi fuerant & abutebantur, & abutuntur; & excedunt nimis & temerè, & preſertim in & ſuper infraſcriptis.

Et videlicet, quod quamuis in eorum sermonibus & prædicationibus, & alibi debuissent & deberent abstinere à proponendo, proferendo & dicendo aliqua, quæ audientes à solutione decimarum& iurium Ecclesiis debitorum retrahere vel aliorum animorum corrumpere seu mouere possent seu haberent, ac verbo aut opere audientes huiusmodi ad prædictorum solutionem informare excitari aut exhortari debuissent & deberent; ipsi tamen religiosi totum oppositum facere, ac in Ecclesiis parrochialibus etiam non vocati & sine licentia Curatorum & beneplacito, & etiam illis & pluribus horum & locis, quibus Prælati, Ecclesiastici, quibus id de iure communi competere dignoscitur, prædicare vel facere prædicari coram se noluerunt & nolebant, & frequenter in locis propinquis huiusmodi Ecclesiis in detractionem & opprobrium Prælatorum, Curatorum, & vt ab eorum prædicationibus & officiis subditos & parrochianos abstraherent, & ad suos sermones attraherent, parrochianósque eorum & totum populum contra eorũ Prælatos & Curatos commouerunt & in dies commouent causâ quęstus, & ad ostentationem potiùs quàm pro salute animarũ,

&aliàs in caſibus eiſdem fratribus non permiſſis ad prædicandum clero & populo temeritate propria ac licentia ſuper hoc non obtenta etiam non petita, & etiam contra voluntatem & inhibitionem Prælatorum, & Curatorum Eccleſiaſticorum, & aliàs temerè prorumpere, ac Prælatos & Curatos ipſos ſic & in aliis ſuis officiis, prædicationibus & ſermonibus impedire præſumpſerunt & præſumunt.

Et cùm debuiſſent & deberent in ſermonibus & prædicationibus ſuis aſtantes & audientes informare & inſtruere de & ſuper fide Catholica & articulis eiuſdem, ac de Eccleſiaſticis ſacramentis & aliis tendentibus ad ſalutem animarum, ipſi fratres non quærentes quæ Dei ſunt, ſed pecuniariis quæſtibus inhiantes, frequenter parùm attenti ſalubribus dogmatibus & doctrinis ad confabulationes, adulationes, etiam interdũ immiſcendo errores & abuſiones, ac varias & reprobas doctrinas, prorumpunt; perſonas nobiles & potentes maximè ad eorum fraternitatem inducere, & earum nomina inrotulare & ſcribere, ac participationem omnium bonorum factorum & fiendorum in ipſis orationibus promittere in morte & in vita, & perſonas

 215

quamplurimas in ſuis iniquitatibus & reprobis actibus, & eorum facta reproba ſub quibuſdam verborum palliationibus ſuſtinere, ac adulatoriis, deceptoriis, & ſubtilibus, ac perniciofis perſuaſionibus, & inductionibus Parrochianos & ſubditos vtriuſque ſexus Eccleſiarum etiam Parrochialium ad elargiendum de bonis ſuis tēporalibus, tam in vita, quàm in teſtamentis & aliis vltimis voluntatibus, & aliàs ſub diuerſis & variis coloribus, fratribus & ordinibus ſupradictis, & ad eligendum etiam cum iuramento & votis & fidei datione, ſepulturas in eorum Eccleſiis, cimiteriis & locis, etiam cœlum & ſaluationem animarum promittendo, & eorum peccata ſuper ſe recipiendo, & ad recurrendum ad fratres dictorum ordinum pro confeſſionibus & Eccleſiaſticis ſacramentis, & ſuas parrochiales Eccleſias & eorum Curatos relinquendum & contemnendum, nec non iuuenes etiam impuberes præcipuè diuites, vt quos ſperant magnas diuitias habituros, eorum parentibus & amicis inſciis ac renitentibus & inuitis, ad ingrediendum & profitendum ordines ſupradictos, ſinguli, vt videlicet in ſuo ordine contra canonica inſtituta, nec eoſdem in-

tra annum probationis exiſtentes ordinem eorum exire permittunt, ac ad dandum & erogandum dictis ordinibus vſuras, & alia malè acquiſita allicere, inducere, imò veriùs ſeducere; ac quod dantes eiſdem ordinibus vſuras & malè quæſita, etiam pro decimis & iuribus Eccleſiis parrochialibus per parrochianos & debitores eorum ſubtractis, tam perſonalibus quàm realibus, ſupra memoratis fratribus ſeu ordinibus ipſis aut aliquid erogantes ſiue ſoluentes huiuſmodi liberationem conſequantur, etiamſi illos quibus reſtituenda ſunt non ignorent, & à peccatis his contractis dantes & ſoluentes huiuſmodi abſque ſatisfactione alia qualicúnque abſoluere, & quod etiam benefactoribus dictorum ordinum maiores ſunt conceſſæ indulgentiæ à ſummis Pontificibus & aliis Prælatis quàm veritas ſe habeat, ſepultóſque apud eos maiora conſequuturos ſuffragia ac maiores indulgentias, & maioris fuiſſe & eſſe meriti apud eos, quàm in matricibus Eccleſiis parrochialibus ſeu alibi ſepeliri, ac eis quàm aliis, & ſuis quàm aliis Eccleſiis erogare, donare & legare in derogationem & grauem iacturam Eccleſiarum & aliarum matricum & Parrochialium & eccleſiaſtica-

rum personarum, & alias temerè asserere, constanter prædicare etiam publicè, & iuuenes, sicut præfertur, deceptos ad diuersa, & à parentibus & amicis eorum remota loca, ne à parentibus & amicis eorũ ab ipsis ordinibus extrahantur, seu repetãtur, transmittere, cõseruare & multos retinere, & eisdem parentibus & amicis occultare nequiter præsumpserunt & præsumunt.

Item multi & fere omnes dictorum Ordinum fratres, maximè Presbyteri, etiam per suos superiores non electi; & locorum diocesanis non præsentati, & per ipsos diocesanos non admissi, & ad hoc etiam inhabiles & ignari atque insufficientes & sine licentia & beneplacito diocesanorum locorum & præter & vltrà præsentatos per suos superiores ad hoc non admissos, & sub vmbra sic electorum præsentatorum & ad hoc admissorum, & in cauernis & latebris & locis occultis latentibus & inhonestis confessiones sibi volentium confiteri audire, & pœnitentias iniungere, & multa inhonesta sub tali colore committere, & sic confitentes etiam à sententiis maioris excommunicationis, & tam auctoritatibus ordinariorum, sedis Apostolicæ legatorum, quàm delegatorum & subdelega-

torum iudicum executorum & subexecutorum etiam auctoritate Apostolica deputatorum & Canonum etiam pro violentis manuum iniectionibus factis in personas Ecclesiasticas constitutionum seu statutorum etiam prouincialium Synodalium seu aliàs localium, & in his casibus etiam Prælatis maioribus, & sedi Apostolicæ reseruatis, & aliis indifferenter vbi eis non licuit nec licebat de facto absoluere: & sic confitentes, ipsorúmque animas subdole decipere etiam propter quæstum pecuniarum præsumpserunt damnabiliter & præsumunt, sicque per mundum discurrentes & quæstus magnos facientes & congregantes, & animas decipientes, & quascunque sententias seu censuras Ecclesiasticas fratres ipsi seu eorum loca inciderũt, siue à iure, siue ab homine, latas, ab huiusmodi sententiis & censuris Ecclesiasticis mutuò se absoluunt, & prætendunt & iactant se habere, vt in his, Apostolicam etiam auctoritatem seu potestatem.

Præterea fratres ordinum prædictorum considerantes quòd Prælati & Curati consueuerunt in pœnitentiis iniungendis qualitates personarum & peccatorum circunstantias & alia circa hoc attendenda atten-

dere & debitè ponderare, & his attentis pœnitentias iniungere salutares, vt parrochianos à confitendo suis Curatis & propriis sacerdotibus abstrahant,&ad confitēdum fratribus dictorum ordinum attrahant,leues & pecuniarias eis pœnitentias, & ad erogandum fabricis & structuris Ecclesiarum,fenestrarum & ædificiorum,locorum suorum & subuentionibus fratrum ipsorum nonnullos etiam volentes aliter & alibi suas eleemosynas facere sibi confitentes inducunt ad conuertēdum easdem eleemosynas in vsus &ad opus ordinum prædictorum;ac sic homines & per leuium pœnitentiarum impositionem ac blanditias, & alias verbo & facto induxerunt & inducunt ad eligendum confessores de fratribus ordinum prædictorum, ac prædicare & asserere præsumpserunt & præsumunt quod melius, expeditius, eligibilius & securius est fratribus dictorum ordinum & in locis ipsorum, quàm Curatis propriis vel aliis sacerdotibus in Ecclesia eorum parrochiali confiteri. Et propterea parrochiani obmiserunt & obmittunt etiam semel in anno secundum statutum Concilij generalis, *Omnis vtriusque sexus*, propriis sacerdotibus confiteri, & recurrerunt &

recurrunt ad fratres dictorum ordinum pro prædictis & aliis, & dixerunt, vt communiter dicitur, quod melius forum habebunt de pœnitentiis à fratribus quàm ab eorum Curatis, & etiam prouidè præfati parrochiani peccare & peccata, crimina & excessus etiam graues seu grauia committere minùs curant & nullatenus erubescũt nec abhorrent. Dictique fratres, præsertim ad audiendum confessiones, vt dicitur, deputati, asseruerunt & asserunt se habere tantam seu maiorem potestatem & auctoritatem in confessionibus audiendis, pœnitentiis iniungendis, & absolutionibus impendendis in foro pœnitentiali, quãtum habent Episcopi siue diocesani etiam in casibus eis reseruatis in periculosam deceptionem animarum, & adeò passim & sine delicto à sententiis, & censuris Ecclesiasticis quibuscunque absoluunt de facto, quod iurisdictio & censura Ecclesiastica & neruus Ecclesiasticæ disciplinæ paruipenduntur, & non habentur, sicut deceret, in reuerentia & honore neque timore: & sic fuit vt est dictum, habitum & reputatum ac verum & notoriũ, ac pro vero & notorio habitum & reputatum palam & notoriè.

218

Item, fratres dictorum Ordinum sæpissimè prætendentes corpora seu cadauera decedentium maximè diuitum parrochianorum vtriusque sexus Ecclesiarum parrochialium, & præsertim quos prætendunt de eorum fraternitate fuisse, vel apud eorum Ecclesias sepulturas elegisse, licet ad hoc per eos vt impedire consueuerunt, & impediunt ne huiusmodi defunctorum corpora ad suas parrochiales Ecclesias, etiamsi hoc fuisset per ipsos defunctos in vita sua dispositum, seu aliàs de consuetudine fieri deberet, deportentur. Quinimò corpora defunctorum cum omnibus funeralibus etiam violenter rapere, & cum omnibus funeralibus ad suas deportare Ecclesias, & parrochiales Ecclesias & earum Curatos ei spoliare & eisdem rectoribus & Curatis iniurias & violentias inferre, & etiam de electione & fraternitate prætensa huiusmodi nulla fide facta, licet sit petitum, necnõ etiam frequenter temporibus interdictorum publicè & nominatim excommunicatorum & interdictorum & manifestorum vsurariorum & aliorum carere debentium Ecclesiastica sepultura in suis Ecclesiis & cimiteriis etiã scienter sepelire, ac quartam partem emo-

lumentorũ exinde prouenientium Ecclesiis parrochialibus ac earum Rectoribus & Curatis debitam iniustè & per fraudes & machinationes, etiam legata & donationes reuersura aliis personis ab eis procuratis, subrogatis & submissis in fraudem & diminutionem fieri quartæ procurando ac coloribus exquisitis diuersis aliàs diminuere & vsurpare præsumpserunt & præsumunt: & de ea integre satisfacere requisiti & debitè interpellati recusauerunt & recusant, & maximè quando corpora fuerunt primò ad suas parrochiales Ecclesias deportata. Et si interdum aliquid timore quartæ huiusmodi soluerunt, quod rarò contigit, ipsam quartam diminuunt & sibi retinent & defalcant pro libito voluntatis. Et si quandoque aliquid soluerunt de prædictis, hoc non absque magna difficultate exigitur ab eisdem, ac prædictorum occasione Ecclesiæ parrochiales & eorum Rectores & Curati multa damna sustinere & sumptus graues & expensas facere habuerunt & habent, & propter culpas, derogationes, substrationes & malitias fratrum Ordinum prædictorum, ac fraudes & procurationes multiplicatas quartam huiusmodi oblationes & alia iura

parrochialia

parrochialia Ecclesiarum parrochialium occupare, diminuere, vsurpare & sibi retinere: & dum Prælati, Rectores & Curati ipsarum Ecclesiarum vel alij super recuperatione iurium, vel propter alias iustas causas fratres dictorum ordinum impetũt, vel querelas contra eos deferunt, fratres huiusmodi aliquando per suos Conseruatores, & interdum per Inquisitores hæreticæ prauitatis de suis ordinibus existentes procurauerũt, & fecerunt, procurant & faciunt querelantes huiusmodi & alios eis in aliquo displicentes ad loca remota trahi, & vbi possunt ad magis propinquiora conueniri ad maiores fatigationes, & taliter fatigari, & fatigationibus affici & vexari, quod ipsi habuerunt & habent necesse, vel iuri suo cedere, vel damnosas inire pactiones, aut ipsorum fratrum se submittere voluntati, & eos grauiter affligunt & damnificant laboribus & expensis, ac indebitè & iniustè.

Item, & tempore interdictorum etiam ianuis apertis & præsentibus excommunicatis & interdictis, & eis propter quorũ crimina sunt apposita interdicta, Missas & alia diuina officia celebrare, & prædictos ad Missas & diuina officia & Ecclesiastica sa-

cramenta admittere, etiam in casibus non permissis à iure, scienter præsumpserunt & præsumunt, nec interdicta legitimè prolata seruant, licet viderint & sciuerint Ecclesias Cathedrales & matrices idem interdictum obseruare, & aliàs in suis ordinibus, & aliis supradictis tangentibus malè versati fuerunt & versantur. Quodque ordines & fratres prædicti per præmissa & eorum prætextu impugnati vsurpatione iurisdictionum & iurium Prælatorum, Rectorum & Curatorum præfatorum, & Ecclesiarum prædictarum, & commodis seu emolumentis temporalibus in prædictis prouenientibus plurimùm inhiantes domos, Oratoria, Collegia & Cõuentus personasque Ordinum suorum per mundum multiplicauerunt & dilatauerunt, adeò quod ipsorum multitudo est importabilis, & nimiùm onerosa, & Ecclesiarum matricum & parrochialium iurium & iurisdictionum prædictarum destructio & ruina, & nimis damnosa eisdem, ac pro præmissis per importunitatem & licentiam indulta à Sede Apostolica, vt dicitur, impetrarunt subrepticiè & dolosè de facto.

Item Inquisitores & pœnitentiarios fieri & creari, & ad diuersa officia habentia sti-

pendia, lucra & emolumenta temporalia, & propter ſtipendia & emolumenta huiuſmodi & eorum occaſione ſe promoueri, ac Miſſas eorum in certo numero & ad certum tempus & pro certis pecuniariis ſummis contra profeſſionem eorum vendunt, & pecunias exinde percipiunt, & exinde extortis & congregatis magnis lucris & pecuniarum ſummis, ac etiam per importunitates & ſubtilitates ſuas & alias iniuſtè & indignè ſe ad prælaturas procurarunt & procurant promoueri, ac fecerunt & faciunt per alios procurari, & in commiſſis ſibi officiis etiam poteſtatem eis datam & fratres eius excedendo, & aliis multis modis ſe malè & perperam geſſerunt & gerunt. Quodque prædicta & eorum ſingula fuerunt & ſunt manifeſta vera & notoria, & pro veris & notoriis habita reputata palã & publicè, ac de & ſuper prædictis fuerunt & ſunt præfati fratres & ordines publicè & apud bonos & graues perſonas meritò diffamati, ac de & ſuper præmiſſis fuit & eſt communis opinio, reputatio, credulitas & publica vox & fama. Et quod Magiſtri, Vicarij, Gardiani, Miniſtri, Priores, & Cuſtodes, Officiales, ac ſinguli Conuentus, & fratres ſingulares Con-

uentuum ordinum prædictorum de prædictis omnibus & fingulis habuerunt, potuerunt, dixerunt, afferuerũt, confeffi fuerunt & funt notoria, non folum non refiftere curauerunt, fed & ea tacite ac expreſsè approbarunt, ac fratres prædicta committentes receptauerunt, confouerunt in prædictis, & fuftinuerunt, ac præmiffa facere permiferunt, voluerunt, procurârunt, & fecerunt, & ea etiam nomine & ad inftantiam & procurationem eorum facta rata & grata habuerunt, & fe habere dixerunt.

Cùm verò dictas conftitutiones, conceffiones, priuilegia, & alia indulta prætenfa ftatui eorum & profeffioni, fuper quibus, vt afferunt, fundati funt repugnantia & aduerfa ex caufis præmiffis & aliis diuerfis rationibus, fana non potuerunt retinere confcientia feu eifdem gaudere & vti fratres prædicti. Petit ergo & fupplicat per vos Reuerendiffimos Patres prædictos & veftram fententiam pronunciari, decerni & declarari vfum & omne exercitium conceffionum, conftitutionum & priuilegiorũ prędictorum ipfis ordinibus & fratribus eorundem in & fuper confeffionibus audiendis, pœnitentiis iniungendis, abfolutionibus impendendis, fepulturis parrochianorũ

parrochialium Ecclesiarũ habendis,& corporibus sepeliendis, ac prędicationibus & sermonibus in præiudicium Ecclesiarum prędictarum, & detractionibus illicitis in vituperium & scandalum & diminutionẽ honoris Prælatorum, Rectorum, Vicariorum seu Curatorum, & aliorum pręmissorum faciendis, quibus, vt pręmittitur, & per prędicta se reddiderunt indignos, interdicendum fore perpetuò & interdici ac eis inhibendum fore & inhiberi ne actibus huiusmodi vti pręsumant, ipsisque non licuisse nec licere prædicta fecisse & facere, ac excessus & actus prędictos fuisse & fore abusiuos, perniciosos, excessiuos, temerarios, iniquos & iniuriosos, ac propterea dictos fratres fuisse ac esse ac se effecisse & reddidisse indignos, ac priuandos fuisse & fore priuari & nudari huiusmodi priuilegiis & concessionibus tam à iure, etiam per constitutionem, *Super cathedram*, siue, *Dudum*, quàm alias etiam per indulta Apostolica quæcunque prætensa, & qualitercumque sibi super præmissis concessis seu factis, ac eas & ea debuisse & debere amisisse & amittere & eorum Ecclesias & cimiteria interdicta & eosdem fratres sentẽtiis contra tales à iure promulgatis fuisse &

fore ligatos, & vſque ad condignam ſatiſ-factionem ſic ligatos publicè nunciandos & nunciari, & ad ſatisfaciendum prædictis Eccleſiis, matricibus & parrochialibus & earum Prælatis & Rectoribus & Curatis de & ſuper quartis & aliis iuribus emolumentis prædictis quatenus ipſos tangunt, dictáque priuilegia, conceſſiones, conſtitutiones & indulta caſſanda, irritanda, annullanda, reuocanda, & omnino tollenda fore, caſſari, irritari, annullari, reuocari & ſublata nuncianda fore ac publicè nunciari: & ad emittẽdum extra prædictos ordines & abire ad ſolutionem redire permittendum liberè iuuenes prædictos, vt præmittitur, per eos deceptos tonſuratos, ſeductos & retentos, & eorum parentibus & amicis exhibendum aſſignandis & reſtituendis, ac ad cauendum idoneè quod talia de cætero nõ debeant attentare cõdemnandos & compellendos fore condemnari & compelli, & extrauagantem quæ incipit, *Vas electionis*, declarandã & moderandam, ac moderari, & declarari, & de ea diſponi, pro Eccleſiarum parrochialium & Pręlatorum ipſarum vtilitatibus & iurium conſeruatione ac cõmodo ſubditorum & profectibus animarum ipſorum viſum fuerit expedire, & fieri

vlteriusin præmiſſis,& circa ea quod fuerit opportunũ. Et prædicta dicit & proponit, dicit & diuiſim ac omni modo,iure,forma & cauſa quibus melius poteſt,& cum damnis & expenſis factis & inſuper faciendis,& alias ſuper præmiſſis veſtrum Reuerendum officium implorando, ſaluo iure corrigendi, &c.

221

EXPLICIT.

Ex Thomæ Vualſinghami Hiſtoria Anglicana.

ANno gratiæ milleſimo trecenteſimo quinquageſimo octauo, qui eſt annus regni Regis Edvvardi à conqueſtu tertij triceſimus ſecundus, immediatè poſt ſeptuageſimam tenuit Rex Angliæ Parliamẽtum apud Vveſt monaſterium,vbi de pace reformanda inter duo regna, per ſæpè colloquentes, nuſquam concordarunt.Quo quidem tempore magna controuerſia coram ſummo Pontifice facta eſt inter Magiſtrum Richardum Latinè filium Radulfi Fizrauf, Primatem Hiberniæ Armachanum videlicet, & Clerum Anglicanum ex vna parte, & quatuor

Ordines Mendicantium ex altera, ſuper ſtatu & regula eorundem fratrum. Qui videlicet Armachanus opiniones ſuas erga fratres coram ſummo Pontifice diu pluresque ſuſtinuit, & ipſos manifeſtè à ſuis deuiaſſe regulis multis rationibus demonſtrauit. Sed tandem (proh dolor!) Clero Anglicano ſibi ſubtrahente promiſſa, & exuberante in curia fratrum ſatis magna pecunia, adhuc lite pendente, Fratres ſua priuilegia ſicut per ante ſub data noua obtinuerunt.

FINIS.



De Cleonville, Avertissement aux princes sur les nouveaux mouvemens du Royaume 223 N.° 1

Richardus Archiepiscopus Armachanus Hyberniae Primas ~~N.°~~ Defensorium Curatorum N.° 2

~~Trithemius Abbas, Testimonium de Richardo Archiep. Armachano~~ N.° 3

VINÉ